




SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
THE BEQUEST OF
JOSIAH QUINCY LORING,
OF WESTON, MASS.
(Class of 1829.)
Received 10 July,
1862.


FAIRE SANS DIRE

J. Q. Loring.

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, F^bg St-Germ.
DE BURE, frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
F. DIDOT, imprimeur du Roi, rue Jacob, n° 24.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-libr., rue St-Louis, n° 46, au Marais.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
N. PICHARD, libraire, quai Conti, n° 5.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

VALERIUS MAXIMUS

DE DICTIS FACTISQUE MEMORABILIBUS

ET JUL. OBSEQUENS

DE PRODIGIIS

CUM SUPPLEMENTIS

CONRADI LYCOSTHENIS

ET SELECTIS ERUDITORUM NOTIS

QUOS RECENSUIT NOVISQUE ACCESSIONIBUS LOCUPLETAVIT

CAR. BENEDICT. HASE

VOLUMEN SECUNDUM

PARS PRIOR



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIII

VALERIUS MAXIMUS

ET

JULIUS OBSEQUENS

CUM SUPPLEMENTIS

CONRADI LYCOSTHENIS

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

EDITORIS PRÆFATIO.

De editionis hujus ratione atque instituto satis superque videtur in procemio Voluminis superioris esse dictum: neque habemus necesse, si officia nostra probare potuimus viris eruditis ac principibus in hoc genere literarum, ut, quæ tunc ab aditu præfati simus, eadem illis, postquam intrare voluerint, nunc repræsentemus. Nam nihil aliud est hoc secundum Volumen, nisi primi continuatio: ita ut alterum ex altero nexum, amboque apta inter se et cohærentia videantur. Prius Volumen priores sex libros Valerii Maximi complectitur: septimus, octavus, nonus hoc continentur. Addidimus librum de nominum ratione, Pighii aliorumque editorum auctoritatem potius secuti, quam quod hanc epitomen ipsius Valerii esse judicaremus. Sequuntur indices quatuor in Valerium Maximum, nempe, auctorum a scriptore nostro laudatorum, geographicus, historicus denique; postremo verborum et locutionum. Quam accessionem adeo non vereor ne lectores supervacaneam arbitrentur, ut potius ab hac parte velim esse omnino omnes editiones quam instructissimas. Neque, ut hoc utar, si aberrare a literis latinis ad græcas liceret, difficilis esset demonstratio, nihil hodie fieri posse ab homine acuto, studioso, litteris perpolito, sed nihil quod magis gratam utilitatem habeat, quam confectionem

indicis Græcitatis Platonicæ; ita, ut neque verbum desit ullum, neque ullius verbi Platonici vis tum propria, tum varia, tum universa, paulo subtilius explicata. Verum hoc in præsentia nihil ad nos. Illud ad nos, istuc quoque Volumen editionis nostræ (nam in partem alteram, quæ subsequitur, conjecimus de ostentorum scriptoribus eos fere, quos ad illustrandum Valerium proficere plurimum arbitrabamur, Julium Obsequentem, Joannis Lydi fragmenta, Astrampsychum, Nicèphorum, Zoroastri oracula), istuc, inquam, Volumen alterum, in duas partes divisum, non prorsus displicere lectoribus, latinarum literarum, atque adeo doctrinæ accuratæ, cupidis. Quos oro, ut et me sibi commendatum habeant, et toti huic consilio de vulgandis auctoribus classicis favere pergant.

Scripsi Parisiis, prid. nonas Maias, a. C. cIↃ. IↃCCC. XXIII.

C. B. Hase.

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I.

De felicitate.

1. Q. Metelli Macedonici. — 2. Gygis Lydorum regis.

VOLUBILIS fortunæ complura exempla retulimus : constanter[1] propitiæ admodum pauca narrari possunt ; quo patet, eam adversas res cupido animo infligere, secundas parco tribuere[2]. Eadem, ubi malignitas oblivisci sibi imperavit[3], non solum plurima et maxima, sed etiam perpetua bona congerit.

1. *Constanter propitiæ.* Ita Pigh. ex Winch. et Gembl.; ita quoque plures MSS. Torrenii. Quidam *constantis propitiæ*. Alii *constantis et propitiæ*.

2. *Tribuere.* Tantum bonorum plerumque nobis tribuitur, quantum ferre possimus. Beatus ille, qui aurea gaudet mediocritate. Magnæ opes raro diutinæ. Nep. VIII, 4, §. 2. Summa egestas ad multa urget mala ; nemo autem plane caret luctu. Quo pacto nos in utraque sorte gerere nos deceat, optime docet Venusinus noster : *Æquam memento*, etc. *Rebus angustis*, etc. Nec avide Fortunam ad nos rapiamus, ne fugiat; nec terreamur ejus minis; nec desperemus, si fugiat; nec despiciamus eam, si nobis arrideat, media via ingredientes inter Epicteti aliorumque stoicorum ἀπάθειαν et nimiam externorum æstimationem, et omnibus bonis bene ac sapienter utamur.

3. *Imperavit.* Ut apud Terentium : *imperavi egomet mihi omnia assentari.* Eun. II, 2, 21.

1. Videamus ergo, quot gradibus beneficiorum Q. Metellum[1] a primo originis die ad ultimum usque fati tempus nunquam cessante indulgentia, ad summum beatæ vitæ cumulum perduxerit: nasci eum in urbe terrarum principe voluit; parentes ei nobilissimos dedit[2]; adjecit animi rarissimas dotes, et corporis vires, ut sufficere laboribus posset[3]; uxorem pudicitia et fecunditate conspicuam conciliavit; consulatus[4] decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextum largita est; fecit, ut eodem tempore tres[5] filios consulares, unum etiam censorium ac triumphalem, et quartum prætorium videret; utque tres filias[6] nuptum daret, earumque sobolem sinu suo exciperet: tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia, quum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ: cælum contemplare; vix tamen ibi talem statum reperies, quoniam quidem luctus et dolores deorum quoque pectoribus a maximis vatibus[7] assignari videmus. Hunc

1. *Metellum*. Vid. Plin. VII, 44; Cic. de fin. V, 78; Tusc. I, 35; Vell. lib. I, cap. 11. Metellus tamen *Macedonicus* multa etiam sinistra est passus. Parum abfuit, quin a Labeone, quem senatu ejecerat, de saxo Tarpeio præcipitaretur. Cui accessit Scipionis Æmiliani inimicitia et alia adversa. Felicior fuit ejus pater, nisi quod luminibus orbam exigeret senectutem. — *Cumulum*. Ita omnes MSS. et edd. Vid. III, 1, init.; VIII, 7, init. Pighius *culmen*. Frustra.

2. *Dedit*. An. U. 610, 607. Eutr. L; Flor. II, 14.

3. *Posset*. Nempe Metellus. Sic ex Copes. et septem aliis codicibus manuscriptis Torrenius restituit. Vulgo edebatur *possent;* sed male.

4. *Consulatus*. Quem summa gloria et modestia gessit. — *Imperatoriam potestatem*, adversus Pseudo-Philippum. — *Prætextum*. Alii *prætextam*. Vid. II, 10, init.; VII, 3, 8; VII, 5, 6.

5. *Tres*. Alii *quatuor* illi tribuunt: *unum* qui ante patris obitum cos. fuerat; *alterum Balearicum*, consularem, censorium ac triumphalem; *tertium M.*, quum pater anno Urb. 638 moreretur, consulem, et postea triumphalem; *quartum C.* prætorium, ac moriente patre consulatus candidatum.

6. *Filias*. Vid. Perizon. Animadv. hist. p. 406.

7. *Vatibus*. Homero et Virgilio;

autem[1] vitæ actum ejus consentaneus finis excepit; namque Metellum ultimæ senectutis spatio defunctum, lenique genere mortis inter oscula complexusque carissimorum pignorum exstinctum, filii et generi[2] humeris suis per urbem latum rogo imposuerunt.

2. Clara hæc felicitas: obscurior illa, sed divino splendore præposita[3]: quum enim Gyges regno Lydiæ armis et divitiis abundantissimo inflatus[4], Apollinem Pythium sciscitatum venisset, *an aliquis mortalium se esset felicior;* deus, ex abdito sacrarii specu voce missa, Aglaum psophidium[5] ei prætulit: is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate jam senior; terminos agelli sui nunquam excesserat, parvuli ruris fructibus ac voluptatibus[6] contentus; verum profecto beatæ vitæ finem Apollo, non adumbratum[7], oraculi sagacitate complexus est: quocirca insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, « magis se probare

vid. Rapin. comparation. Homeri cum Virgilio, 1766.

1. *Autem* in quatuordecim MSS. omittitur.

2. *Generi.* Plinius et Velleius, l. c. filiorum tantum in patris exsequiis faciunt mentionem. — A Solone aut Pericle mos percrebuit in Græcia, in funere perorandi, deinde ad Romanos transiit, ubi magnorum virorum lectus feralis pro rostris ita collocabatur, ut ab omnibus conspiceretur: inde laudatio funebris peracta. Vid. Polyb. VI. Jos. Lanzonus de luctu mortuali veterum; Meursius de funere; Slevogt de funeribus imperat.; Morestelli pompa feralis.

3. *Præposita.* Vid. Plinium, VII, 46; Solin. VII; Pausan. VIII, 24; supra, V, 1, 1.

4. *Inflatus.* MSS. Torrenii *inflatus animo*, unde Perizonius conjicit *inflatus animi.* Nihil opus. — *Venisset.* Gyges in Græciam nunquam venit, sed quod per legatos fecit, id ipse fecisse putandus est.

5. *Psophidium.* A Psophide, Arcadiæ oppido.

6. *Fructibus ac voluptatibus.* Sic Torren. restituit ex MSS. quum Pighius auctoritate unius Winch. temere expunxisset *ac voluptatibus.* Unus Brand. et Ultr. prim. *fructuum voluptatibus.*

7. *Adumbratum. Adumbrare* proprie rem pictorum significat, non qua primas lineas ducunt, nec qua picturam absolvunt; sed qua primis lineis colores inducunt, qui umbram addant, et paulo expressiorem speciem exhibeant, non tamen perfectam. *Adumbratum* sæpius opponitur vero, perfecto, plane expresso.

securitate ridens tugurium, quam tristem curis et sollicitudinibus aulam; paucasque glebas pavoris expertes, quam pinguissima Lydiæ arva metu referta; et unum aut alterum jugum boum facilis tutelæ[1], quam exercitus, et arma, et equitatum voracibus impensis onerosum; et usus necessarii horreolum nulli nimis appetendum, quam thesauros omnium insidiis et cupiditatibus expositos. » Ita Gyges, dum adstipulatorem vanæ opinionis deum habere concupiscit, ubinam solida et sincera[2] esset felicitas, didicit.

CAPUT II.

De sapienter dictis aut factis a Romanis.

1. App. Claudio. — 2. P. Scipione Africano. — 3. Q. Cecilio L. F. Metello. — 4. L. Fimbria. — 5. L. Papirio L. F. Cursore, cos. — 6. Senatu Romano.

De sapienter dictis aut factis ab externis.

1. Socrate atheniensi. — 2. Solone atheniensi. — 3. Biante prienensi. — 4. Platone atheniensi. — 5. Antigono rege. — 6. Xenocrate philosopho. — 7. Aristophane comico. — 8. Thalete philosopho. — 9. Themistocle atheniensi. — 10. Philippo rege Macedoniæ. — 11. Aristotele philosopho. — 12. Anaxagora clazomenio. — 13. Demade atheniensi. — 14 Anacharse scytha. — 15. Agesilao lacedæmonio. — 16. Hannone pœno. — 17. Herennio Pontio samnite. — 18. Cretensibus.

DE SAPIENTER DICTIS AUT FACTIS A ROMANIS.

Nunc id genus felicitatis explicabo, quod totum in habitu animi est[3], nec votis petitur, sed in pectoribus sa-

1. *Tutelæ*. Facilis tutelæ est, quod facile et sine magnis sumptibus tueri, id est, tolerare atque alere possis. *Tueri* enim non modo idem est, quod vim arcere ac rem defendere; sed et statum et incolumitatem rei conservare. Vid. Colum. VII, 22; Plin. l. XXX, c. 20; Nep. l. XV, c. 3, 4.

2. *Sincera*. Sic habent septemdecim MSS. Torrenii, ed. vet. et alii. Male igitur Pigh. edidit *secura*. Vid. III, 2, 1.

3. *Est*. Ed. vet. omittit. Nonnulli *consistit* legunt.

pientia præditis natum, dictis factisque prudentibus enitescit.

1. App. Claudium[1] crebro solitum dicere accepimus, *Negotium populo romano melius, quam otium committi;* non quod ignoraret, quam jucundus tranquillitatis status esset; sed quod animadverteret, præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete[2] in desidiam resolvi; et sane negotium nomine horridum, civitatis nostræ mores in suo statu continuit: blandæ appellationis quies plurimis vitiis respersit.

2. Scipio vero Africanus[3] *turpe esse* aiebat *in re militari dicere: Non putaram;* videlicet, quia explorato et excusso consilio, quæ ferro aguntur, administrari oportere arbitrabatur summa ratione. Inemendabilis enim est error, qui violentiæ[4] Martis committitur; idem negabat, *aliter cum hoste confligi debere, quam si aut*[5] *occasio obvenisset, aut necessitas incidisset:* æque prudenter; nam et prospere gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia est; et in angustias utique pugnandi compulsum abstinere se prælio, pestiferum[6] ignaviæ affert exitum; eorumque qui ista committunt, alter beneficio fortunæ uti, alter injuriæ nescit resistere.

3. Q. quoque Metelli quum gravis, tum etiam alta in

1. *Claudium.* Cæcum, qui Pyrrhi pacis conditiones rejecit.

2. *Quiete.* Debellatis gentibus Roma in luxum et lasciviam est resoluta. De quo queritur Juv. sat. VI:
Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas romana perit.

3. *Africanus.* Vid. Sen. de Ira, II, 31, qui hoc effatum Fabio tribuit. Sed et Cicero statuit, in omni re turpe esse sapienti, dicere: *non cogitaram.*

4. *Violentiæ.* Aliquot *violentia.* Male. Vid. Liv. XXIII, 37.

5. *Si aut.* Pigh. Coler. et Thys. *aut si.* Sed necessario *si* ponendum est ante *aut*, ut quod non semel sed bis insequitur.

6. *Pestiferum.* Ita Pigh. ex Camp. aliisque dedit. Plurimi tamen MSS. cum ed. vet. *pestiferæ*, quod Torrenius damnare non audet.

senatu sententia[1] : qui devicta Carthagine, « nescire se, illa victoria bonine plus an mali Reipublicæ attulisset, asseveravit; quoniam, ut pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem submovendo, non nihil nocuisset: ejus enim transitu in Italiam, dormientem jam populi romani virtutem excitatam; metuique debere, ne acri æmulo liberata in eumdem somnum revolveretur[2]: » in æquo[3] igitur malorum posuit, uri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium, et prisci roboris[4] nervos hebetari.

4. Quid, illud factum Licinii Fimbriæ consularis[5] quam sapiens! A M. Lutatio Pythia, splendido equite romano judex aditus[6] de sponsione, quam is cum adversario, *quod vir bonus esset*, fecerat, nunquam id judicium pronuntiatione sua finire voluit, ne aut probatum virum, si contra eum judicasset, famâ spoliaret; aut juraret[7] virum bonum esse, quum ea res innumerabilibus laudibus contineatur.

5. Forensibus hæc, illa militaribus stipendiis prudentia exhibita[8]. Papirius Cursor consul, quum Aquiloniam[9] oppugnans prælium vellet committere, pullariusque, non prosperantibus avibus, optimum ei auspicium renuntiasset, de fallacia illius factus certior, sibi quidem et exer-

1. *Sententia in* senatu. An. U. 551.

2. *Revolveretur.* In pristinum somnum iterum incideret.

3. *In æquo.* Id est, pro malis æque magnis habuit. Nam *ponere* et *reponere* pro *habere*, *existimare*, solenne non nostro tantum, sed pluribus scriptoribus.

4. *Roboris.* Antiquæ virtutis.

5. *Consularis.* Vid. Cicer. Offic. lib. III, cap. 19.

6. *Aditus.* Sic longe plurimi MSS. Vid. VII, 7, 4; Cic. ad Appium, Epist. familiares III; Sen. Herc. fur. 733. Male ergo quidam *addictus*. — *Quod. Quod* pro *ni*. Vid. supr. l. II, 8, 2; et l. VI, 1, 10.

7. *Juraret.* Id est, juratus statueret, jurisjurandi religione, utpote judex, obstrictus judicaret.

8. *Exhibita.* An. U. 460. Vid. Liv. X, 40; Oros. III, 22.

9. *Aquiloniam.* Aquilonia, Hirpinorum civitas Italiæ infer. nunc *Cedonga*. — *Non prosperantibus.* Nil prosperi promittentibus. — *Optimum.* Winch. Colon. et ed. vet. *ementitus optimum*. *Ementitus* licet in omnibus fere MSS. Torrenii desit, attamen non plane damnat Kapp. nititur enim auctoritate Livii, quem vide X, 40.

citui bonum omen datum credidit, ac pugnam iniit. Cæterum mendacem ante ipsam aciem constituit, ut haberent dii, cujus capite[1], si quid iræ conceperant, expiarent. Directum est autem sive casu, sive etiam cælestis numinis providentia, quod primum e contraria parte missum erat telum, in ipsum pullarii pectus, eumque exanimem prostravit[2]: id ut consul cognovit, fidente animo et hostes invasit, et Aquiloniam cepit. Tam cito[3] animadvertit, quo pacto injuria imperatoris vindicari deberet, quemadmodum violata religio expianda foret, qua ratione victoria apprehendi posset. Egit virum severum[4], consulem religiosum, imperatorem strenuum; timoris modum, pœnæ genus, spei viam, uno mentis impetu rapiendo.

6. Nunc ad senatus acta transgrediar; quum, adversus Hannibalem, Claudium Neronem et Livium Salinatorem consules mitteret[5], eosque ut virtutibus pares, ita inimicitiis acerrime inter se dissidentes videret, summo studio in gratiam reduxit; ne propter privatas dissentiones rempublicam parum utiliter administrarent; quia consimili imperio nisi concordia inest[6], major aliena opera interpellandi, quam sua edendi cupiditas nascitur; ubi vero etiam pertinax intercedit odium, alter alteri, quam uterque contrariis castris, certior hostis proficiscitur[7]. Eosdem

1. *Cujus capite.* Aliquot addunt *in*; sic III, ext. 2; Cicero in Pisonem, 35.

2. *Prostravit.* Factum hoc in prælio *ante* Aquiloniæ oppugnationem.

3. *Cito.* Lips. scribit *scite.* Sed hic de celeritate agitur, quod liquet ex clausula *uno mentis impetu rapiendo.* Ideo quoque tam multa Valer. quasi cumulo congerit, nusquam copulam inserens, ne inde ipsi etiam orationi hanc celeritatem significanti mora inferretur.

4. *Severum.* Quia mendaci non pepercit. — *Religiosum.* Quia falsam renuntiationem religiose, et, ut diis placuit, expiavit. — *Strenuum.* Quia Aquiloniam cepit.

5. *Mitteret.* An. U. 546. Livius, XXVII, 35. Vid. supr. IV, 2, 2.

6. *Nisi concordia inest.* Plures MSS. Torreniani et ed. Mog. *ubi concordia inest*, unde Torrenius conjicit *ubi concordia non est.* Frustra.

7. *Proficiscitur.* Sermo fit de profectione dissentientium coss. ex ur-

senatus, quum ob nimis aspere[1] actam censuram a Cn. Bæbio tribuno plebis pro rostris agerentur rei, causæ dictione decreto suo liberavit; vacuum omnis judicii metu[2] eum honorem reddendo, qui exigere debet rationem, non reddere. Par[3] illa sapientia senatus, qua Tib. Gracchum tribunum plebis Agrariam legem promulgare ausum, morte multavit. Idem, *ut secundum legem ejus per triumviros*[4] *ager populo viritim divideretur*, egregie censuit. Siquidem gravissimæ seditionis eodem tempore et auctorem et causam sustulit.

Quam deinde[5] se prudenter in rege Masinissa gessit! Nam quum promptissima et fidelissima ejus opera adversus Carthaginienses usus esset, eumque in dilatando regno avidiorem cerneret; *legem ferri* jussit, *qua Masinissæ ab imperio populi romani solutam libertatem*[6] *tribueret.* Quo facto quum optime meriti benevolentiam retinuit, tum Mauritaniæ[7] et Numidiæ, cæterarumque illius tractus gentium nunquam fida pace quiescentem feritatem a valvis suis repulit.

be, et sensus hic est: ubi inter imperatores odium intercedit, alter erga alterum magis hostiliter se gerit, alterique magis nocere studet, quam hosti ipsi, contra quem tamen in bellum profecti sunt.

1. *Aspere.* Nam se invicem censoria nota signarant.

2. *Metu.* Nam senatus decretum factum est, ne judicio aliquo timerent, se damnari posse censores, quo minus aliorum delicta punirent: nam si damnati fuissent, cæteri quidem segniores facti essent, judicium metuentes, ex quo sequutum esset, ut major in urbe peccandi licentia nasceretur. An. U. 549. Liv. XXIX, 37.

3. *Par.* Anno urbis conditæ 620. Plutarch. in Gracchorum vita; App. Bell. civ. I; Liv. LVIII. — *Qua.* Hanc vocem omittunt octo MSS. Torreniani et omnes editt. præter Mog.

4 *Triumviros.* Teste Plutarcho non per *triumviros*, sed P. Crassum agri sunt divisi.

5. *Deinde.* Id est, *porro*; nec opus est, ut cum Perizonio legas *denique*. Vid. VI, 8, 5; III, 2, 10. — *Gessit.* Circiter An. U. 602.

6. *Libertatem.* Bellum gerendi, quibuscum vellet, quo regnum suum ampliorem posset reddere.

7. *Mauritaniæ.* Quum enim non amplius haberent provocationem ad S. P. Q. R., non amplius molestiam illi attulerunt.

DE SAPIENTER DICTIS AUT FACTIS AB EXTERNIS.

1. Tempus deficiet domestica narrantem[1]; quoniam imperium nostrum non tam robore corporum, quam animorum vigore, incrementum ac tutelam sui comprehendit: majore itaque ex parte romana prudentia in admiratione tacita reponatur, alienigenisque hujus generis exemplis detur aditus. Socrates[2], humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, *nihil ultra petendum a diis immortalibus* arbitrabatur, *quam ut bona tribuerent, quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile; nos autem plerumque id votis expetere*[3], *quod non impetrasse melius foret.* Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentes errore cæcas precationes tuas spargis; divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt; honores concupiscis, qui complures pessumdederunt; regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur; splendidis conjugiis injicis manus; at hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos evertunt. Desine igitur stulte futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus, inhiare, teque totum cælestium[4] arbitrio permitte; quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissime[5] possunt.

Idem expedita et compendiaria via eos ad gloriam

1. *Narrantem*. Aliquot. MSS. et edd. *narranti*. Sed quartum casum præferunt optimi seculi scriptores. Conf. in nost. ed. Cæs. Bello Gal. II, 10; III, 5; et Ovid. Met. II, 382.

2. *Socrates*. Vid. Plato in Alcib. — *Oraculum*. Quem etiam Apollo sapientissimum vocarat.

3. *Votis expetere*. Ultr. prim. *expetere solemus*, sec. *expetere scimus*. Ed. vet. cum Leid. quat. *expeteremus*. Male. Supple *arbitrabatur*.

4. *Cælestium*. Egregie de his Juvenalis, sat. x, v. 346 sqq.:

Si consilium vis,
Permittas ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris:
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt di.
Carior est illis homo, quam sibi....

5. *Aptissime*. Ed. vet. et Aldus *aptissima*. Sed Vorst. recte mutavit ex MSS. et compluribus antiquis edd. Mens est Valerii: *Deos et ex facili bona tribuere solere, et aptissime bona eligere*.

pervenire dicebat, *qui id agerent, ut quales videri vellent, tales etiam essent:* qua quidem prædicatione aperte monebat, ut homines ipsam potius virtutem haurirent[1], quam umbram ejus consectarentur. Idem ab adolescentulo quodam consultus, « utrum[2] uxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret; » respondit, « utrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam. Hic[3] te, inquit, solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic heres alienus excipiet: illic perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium grave[4] supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. » Non passus est juvenem in contextu rerum asperarum, quasi lætæ materiæ facere delectum.

Idem, quum Atheniensium scelerata dementia tristem de capite ejus sententiam tulisset, fortique animo et constanti vultu potionem veneni e manu[5] carnificis accepisset admoto jam labris poculo, uxori Xanthippæ inter fletum

1. *Haurirent.* Hanc vocem Pigh. expunxerat. Male. *Haurire* sæpius Noster de animo usurpat. Vid. VIII, 7, ext. 1; I, 7, ext. 1.

2. *Utrum.* Pighius induxit, sed hic retinendum esse docent fere omnes MSS. et sic sæpe Noster. Vid. infra VII, 2, ext. 2. — *Omni.* Aldus edidit *omnino*, quod Torrenius non improbat.

3. *Hic .... illic.* Vid. V, 1, 1. Male perpauci MSS. *hinc .... illinc.* — *Inquit.* Simile quid Diogenes dixit per dilemma: « si pulchram duxeris, communem habebis; sin autem turpem, pœnam. »

4. *Grave.* Putantium te tali uxore indignum. — *Socrus.* Quod etiam Juvenalis, sed male, innuit:

Desperanda tibi salva concordia socru.

— *Subsessor.* Insidiator. Vid. supr. II, 1, 5. « *Subsedit adulter,* » ait Virg. — *Incerti liberorum eventus.* Nonne *proventus?* quam vocem amat Valerius: vide supra VI, 9, 5. De *Socratis morte* lege Laertium, Platonis Phæd. et Mendelssohnii librum præstantissimum. Et in hoc venerandus Socrates, quod, quum XXX dies inclusus esset carceri, sponte finire vitam noluit, sed αὐτοχειρίαν abominatus, patienti et constantissimo animo, dum vocaret hominum pater, exspectavit. Vid. Cic. Tusc. I. Quæ verba hic Valerius *Xanthippæ* addit, *Apollodoro* alii adscribunt.

5. *E manu.* Copes. uterque Meid. Leid. prim. habent *de manu*; quod non spernendum Torrenio videtur. Satis enim notum est præpositionem *de* sæpe pro *e* vel *ex* poni. Vid. Cic. ad fam. VII, 5.

et lamentationem vociferanti innocentem eum periturum[1]; *Quid ergo*, inquit, *nocenti mihi mori satius esse duxisti?* Immensam illam sapientiam, quæ ne in ipso quidem vitæ excessu oblivisci sui potuit!

2. Age quam prudenter Solon[2], *neminem, dum adhuc viveret, beatum dici debere*, arbitrabatur; *quod ad ultimum usque fati diem ancipiti fortunæ subjecti essemus*. Felicitatis igitur humanæ appellationem rogus consummat, qui se incursui malorum[3] objicit. Idem quum ex amicis quemdam graviter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est, *ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret;* quod ut factum animadvertit, « Cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis et olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque seculis sint habitaturi : ac mitte mortalium incommoda tamquam propria deflere. » Qua consolatione demonstravit, urbes esse humanarum cladium consepta miseranda. Idem aiebat, « Si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quam ex communi[4] miseriarum acervo portionem suam ferre mallent. » Quo colligebat, non oportere nos, quæ fortuito[5] patiamur, præcipuæ et intolerabilis amaritudinis judicare.

3. Bias[6] autem, quum patriam ejus Prienem hostes invasissent, omnibus, quos modo sævitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarum rerum pondere onustis fu-

1. *Periturum.* Ita Torrenius edidit auctoritate quatuordecim MSS.; cæteri ediderunt *eum perimi.*

2. *Solon.* Vid. Plut. in vita. — *Neminem.* Copes. *qui neminem*, quod Perizonius malit. Sed alii omnes omittunt vocem *qui.*

3. *Malorum.* Nempe, mors *incursui malorum se objicit*, id est, facit, ut mala non amplius ad nos penetrare queant.

4. *Communi.* Aliquot ediderunt *omni.*

5. *Fortuito.* Lipsius mavult : *sortito.*

6. *Bias.* Vid. Cic. Parad.; Senec. de Tranq. II, 5, ep. 9. Alii Pittaco hoc tribuunt.

gientibus, interrogatus, *quid ita nihil ex bonis suis secum ferret: Ego vero*, inquit, *bona mea mecum porto.* Pectore enim illa gestabat, non humeris; nec[1] oculis visenda, sed æstimanda animo: quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt; et ut manentibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt.

4. Jam Platonis, verbis adstricta, sed sensu prævalens sententia[2]; qui *tum demum beatum terrarum orbem futurum* prædicavit, *quum aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent*[3].

5. Rex etiam ille subtilis judicii[4], quem ferunt traditum sibi diadema priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: « O nobilem magis quam felicem pannum[5]! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, et periculis, et miseriis sit refertus, ne[6] humi quidem jacentem tollere vellet. »

6. Quid, Xenocratis responsum, quam laudabile[7]! quum maledico sermoni quorumdam summo silentio interesset, uno ex his quærente, *cur solus ita linguam suam cohiberet: Quia dixisse me*, inquit, *aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.*

1. *Nec.* Ita Torren. ex edit. Mog. et decem MSS. edidit. Alii *non*.

2. *Sententia.* Vid. Plat. ep. VII; Cic. ad Q. fr. ep. I; Boeth. de Cons. philosoph. I.

3. *Cœpissent.* Quæ verba, teste Capitolino, Antonius Philos. semper in ore habuit.

4. *Judicii.* Vid. Prudent. in Symmach. I, 5; Stob. serm. XLVII. Quinam *rex* fuerit, incertum. Antigonus interim diadema ῥάκος dictitabat, ut narrat Stobæus.

5. *Pannum. Candidam fasciam* supra, VI, 2, 7, vocat Valer.

6. *Ne h. quidem j. t. vellet.* Med. prim. *nec humi jacentem tollere velit*, quod Torrenio non displicet. *Nec* expone per *etiam non*, ut mox ext. 8, *nec cogitata.*

7. *Laudabile.* Vid. Stob. serm. XXXI; Plutarch. de bona valetud. qui Simonidi hoc attribuunt. Xenocrates autem silentio vitam adeo habuit devinctam, ut sicuti certas negotiis suis horas, ita et silentio assignaret. « Multa audienda, dixit, pauca dicenda: nam os unum, aures duas homini naturam dedisse. » Maledicenti: « Tu linguæ tuæ servus es, ait; ego vero mearum aurium dominus sum. »

7. Aristophanis quoque altioris est prudentiæ præceptum[1]; qui in comœdia introduxit remissum ab inferis atheniensem Periclem, vaticinantem, *non oportere in urbe nutriri leonem; sin autem sit alitus, obsequi ei convenire.* Monet enim, ut præcipuæ nobilitatis et concitati ingenii juvenes refrenentur; nimio vero favore ac profusa indulgentia pasti, quo minus potentiam obtineant, ne impediantur; quod stultum sit et inutile, eas obtrectare vires, quas ipse foveris.

8. Mirifice etiam Thales[2]: nam interrogatus, *an facta hominum deos fallerent; Nec cogitata*, inquit: ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, quum secretis cogitationibus nostris cæleste numen adesse credidissemus.

9. Ac ne quod sequitur quidem, minus sapiens[3]. Unicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, *utrum eam pauperi, sed ornato; an locupleti, sed parum probato, collocaret.* Cui is, *Malo*, inquit, *virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem.* Quo dicto stultum monuit, ut generum potius, quam divitias generi legeret[4].

10. Age, Philippi quam probabilis epistola[5], in qua Alexandrum quorumdam Macedonum benevolentiam largitione ad se attrahere conatum sic increpuit: « Quæ te, fili, ratio in hanc tam vanam spem induxit, ut eos tibi fideles futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui com-

1. *Præceptum.* Vid. Aristoph. in ranis v. 1431 ed. Brunck. — *Periclem.* Lapsum memoriæ Valerius conspiciendum præbet. Æschylo enim hanc sententiam tribuit Aristophanes, cujus verba hæc sunt: Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν· Ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

2. *Thales.* Vid. Laërt. in vit. In his omnibus proderit etiam lectio libri copiosissime atque accurate scripti: *Tiedemanns Griechenlands älteste Philosophen.*

3. *Sapiens.* Vid. Cicer. Offic. II; Plutarch. in vit. et apophth.; Cicero hoc quoque de sua filia dixit.

4. *Legeret.* Plaut. Stich. I, 2; 79. *Non tu me argento dedisti, opinor, nuptum, sed viro.*

5. *Epistola.* Cicer. Off. II, 15; Joan. Salisber, lib. VIII.

pulisses? a caritate istud præstatur[1]. » At vero ante Philippus majore ex parte mercator Græciæ, quam victor.

11. Aristoteles autem Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens[2] monuit, « ut cum eo aut rarissime, aut quam jucundissime loqueretur : quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. » At ille dum Alexandrum macedonem persica[3] salutatione gaudentem objurgat, et ad macedonicos mores invitum revocare benevole perseverat, spiritu carere jussus, seram neglecti salubris consilii pœnitentiam egit.

Idem Aristoteles[4] *de semetipso in neutram partem loqui debere* prædicabat : *quoniam laudare se, vani; vituperare, stulti esset.* Ejusdem est utilissimum præcep-

1. *A caritate istud præstatur. At vero ante Philippus.* Ita cum Aldo Pighius edidit. Sed quum MSS. multum inter se dissentiant, alii alia conjecere, Colerus : *a caritate istud. Pater vero Philippus;* quam conjecturam probat Vorstius. Perizon. vero inter cætera : *ad amorem tui compulisses ac caritatem. Istud pater ejus Philippus.* Et sic Torrenius Valerium scripsisse putat. *A* pro *ac* facile scribi potuit ob iteratum *c*; linea vero transversa in fine super *e*, significans *m*, permultis locis omissa est, ut recte quoque Torren. notavit.

2. *Dimittens.* Vid. Plutarch. in Alex.; Laert. in Arist.; Curt. VIII, 5, 6, et 12; cap. 8, 21; Justinum, XV.

3. *Macedonem persica.* Hanc lectionem, MSS. et antiquis edd. firmatam, merito Torren. revocavit, quum Pigh. edidisset *persica macedonum.* Recte enim observavit Perizonius, Alexandrum non tantum a Macedonibus, sed ab omnibus, qui circa se erant, sive Persæ, sive Macedones essent, voluisse honorari salutatione Persarum, qui prostrati reges suos adorabant. Est quoque emphasis in eo, Alexandrum *macedonem persica* salutatione gavisum esse. —*Benevole.* Hanc vocem, quam Pigh. contradicentibus libris expunxerat, Vorst. revocavit. Merito. Nam benevolentia illa Callisthenis, qua Alexandrum ad macedonicos mores revocare studuit, apparet ex ipsis ejus verbis, quæ sunt apud Curt. VIII, 5, 12. Nimirum precabatur ille regi seram immortalitatem, ut vita diuturna esset ac æterna majestas. — *Jussus.* Indignatus Alexander, objecto illi falso crimine, quod Hermolai conjurationis auctor exstitisset, in carcerem eum conjici jussit. De supplicii genere discrepant auctores.

4. *Aristoteles.* De Aristotelis *Ethica* vid. Francisci Patricii Discussiones peripateticas, pag. 31 et 76 sqq.

tum, *ut voluptates abeuntes consideremus;* quas quidem sic ostendendo minuit; fessas enim, pœnitentiæque plenas, animis nostris subjecit, quo minus cupide repetantur.

12. Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti cuidam, *quisnam esset beatus? Nemo*, inquit, *ex his quos tu felices existimas; sed eum in illo numero reperies, qui a te ex miseriis constare creditur:* non erit ille divitiis et honoribus abundans, sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor; in recessu[1], quam in fronte, beatior.

13. Demadis[2] quoque dictum sapiens: nolentibus enim Atheniensibus divinos honores Alexandro decernere, *Videte,* inquit, *ne dum cœlum custoditis, terram*[3] *amittatis.*

14. Quam porro subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat[4]! nam ut illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere; ita his humiles et pauperes constringi, divites et præpotentes non alligari[5].

15. Nihil etiam Agesilai facto sapientius[6]: siquidem

1. *Recessu.* Sic etiam Quintilianus: « plus habet *in recessu*, quam in fronte permittit. » Alii legunt: *secessu.*

2. *Demadis.* Vid. Suidas et Ælianus. Demades fuit orator præstantissimus tempore Demosthenis, et quum Athenis versaretur, atque in senatu promulgatum esset, ut Alexander in numero deorum, tamquam filius Ammonis haberetur, idque Athenienses ægre ferrent, supra allata verba dixit. — *Sapiens.* Duo Med. cum Ultr. sec. *quam sapiens.* Non male profecto, et sic solet sæpius Noster per admirationem loqui. IV, 4, 8; VI, 8, 6; VII, 2, ext. 10; IX, 3, ext. 2. Nec abit quod sequitur, section. 14.

3. *Terram amittatis.* Id est, ne Alexander iratus vos perdat.

4. *Comparabat.* Vid. Plutarch. in Sol. qui tamen hanc comparationem Zaleuco tribuit. De Anacharsi, Scytharum unico sapiente, quum conaretur græcas leges et artes docere suos, a fratre in venatione sagitta percusso, qua interiit, leg. Cicer. Tusc. V, §. 90; et Herodot. III.

5. *Alligari.* Pigh. et Coler. ediderunt *alligari videmus.* Minus recte; *videmus* glossa est, et in solo Camp. exstat, cæteri omnes recte omittunt.

6. *Sapientius.* Vid. Plut. apoph. qui, non conjuratos deprehendisse Agesilaum, sed fugitivos ex acie a capitis pœna liberasse, narrat, lege, ut ex acie fugientes capite puni-

quum adversus rempublicam Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lycurgi continuo abrogavit, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant; comprehensis autem et interfectis sontibus, easdem e vestigio restituit; atque utrumque simul providit, ne salutaris animadversio vel injusta esset, vel jure impediretur: itaque ut semper esse possent, aliquando non fuerunt.

16. Sed nescio, an Hannonis excellentissimæ[1] prudentiæ consilium : Magone enim cannensis pugnæ exitum senatui Pœnorum nuntiante, inque tanti successus fidem annulos aureos trium modiorum mensuram explentes fundente, qui interfectis nostris civibus detracti erant, quæsivit, *an aliquis sociorum post tantam cladem a Romanis defecisset* : atque ut audivit, neminem ad Hannibalem transisse, suasit protinus, *ut legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur.* Cujus si sententia valuisset, neque secundo punico bello victa Carthago, neque tertio deleta foret.

17. Ne Samnites quidem parvas pœnas consimilis erroris pependerunt, quod Herennii Pontii salutare consilium neglexerunt[2] : qui auctoritate et prudentia cæteros præstans, ab exercitu et ejus duce filio suo consultus, *quidnam fieri de legionibus romanis apud Furcas Caudinas inclusis deberet*, *inviolatas dimittendas* respondit. Postero die eadem de re interrogatus, *deleri eas oportere* dixit : ut aut maximo beneficio gratia hostium emeretur, aut gravissima jactura vires confringerentur. Sed

rentur, tantisper sublata, dum iidem absolverentur.

1. *Excellentissimæ*. Pigh. e cod. Camp. scripsit *excellentioris*, quod comparationem facere videatur facti Hannonis cum facto Agesilai. Sed, judice Torrenio, non opus est, ut solum, quod proxime præcedit, Agesilai exemplum spectaverit, quum illud consilium excellat inter omnia jam memorata. — *Consilium*. An. U. 537. Liv. XXIII. Zonaras. Hanno factioni Barcinæ ejusque consiliis semper fuit adversarius.

2. *Neglexerunt*. An. U. 432. Liv. IX, 3; Flor. I, 16.

improvida temeritas victorum, dum utramque partem spernit utilitatis, sub jugum missas in perniciem suam accendit.

18. Multis et magnis sapientiæ exemplis parvulum adjiciam. Cretenses[1] quum acerbissima exsecratione adversus eos, quos vehementer oderunt, uti volunt, *ut mala consuetudine delectentur*, optant; modestoque voti genere efficacissimum ultionis eventum reperiunt: inutiliter enim aliquid concupiscere, et in eo perseveranter morari, exitio ea[2] vicina dulcedo est.

CAPUT III.

De vafre dictis aut factis a Romanis.

1. Antistite templi Dianæ. — 2. L. Junio Bruto. — 3. P. Scipione Africano majore. — 4. Q. Fabio Labeone. — 5. M. Antonio oratore. — 6. Q. Sertorio. — 7. Q. Fabio Max. Verrucoso. — 8. M. Volusio Saturnio ædil. pleb. — 9. Sentio Saturnino. — 10. Patre quodam.

De vafre dictis aut factis ab Externis.

1. Alexandro Magno et quodam asinario. — 2. Darii regis equisone. — 3. Biante prienensi. — 4. Anaximene. — 5. Demosthene oratore. — 6. Quodam Atheniensi. — 7. Hannibale Gisgonis F. pœno. — 8. Hannibale Hamilcaris F. pœno — 9. Tusculanis. — 10. Tullo Attio, Volscorum duce.

DE VAFRE DICTIS AUT FACTIS A ROMANIS.

Est aliud factorum dictorumque genus a sapientia proximo deflexu[3] ad vafritiæ nomen progressum: quod

1. *Cretenses.* Cretenses alioqui non bonæ famæ. Referebantur enim inter tria mala K, κάππα κάκιστα. Complures et optimi codd. præferunt *Cretes*, terminatione græca, ut apud Cic. pro Murena §. 74. Vir. Æn. IV, 146, tom. II, p. 493 nostræ editionis.

2. *Ea.* Hoc pronomen expunxit Pighius; sed immerito.

3. *Deflexu.* Id est, genus factorum dictorumque, de quo nunc agam, non ad ipsam sapientiam, de qua cap. sup. dixi, sed ad aliquid, quod sapientiæ vicinum sit, ejusque spe-

nisi fallacia vires assumpserit, fidem propositi non invenit; laudemque occulto magis tramite, quam aperta via petit.

1. Ser. Tullio regnante[1], cuidam patrifamiliæ in agro sabino præcipuæ magnitudinis et eximiæ formæ vacca nata est : *quam* oraculorum certissimi auctores *in hoc a diis immortalibus editam* responderunt, *ut quisquis eam Aventiniensi*[2] *Dianæ immolasset, ejus patria totius terrarum orbis imperium obtineret.* Lætus eo dominus, bovem cum summa festinatione Romam[3] actam, in Aventino ante aram Dianæ constituit, sacrificio Sabinis regimen humani generis daturus. De qua re antistes templi certior factus, religionem[4] hospiti intulit, ne prius victimam cæderet, quam proximi amnis aqua se abluisset; eoque alveum Tiberis petente, vaccam ipse immolavit, et urbem nostram tot civitatum, tot gentium dominam pio sacrificii furto reddidit[5].

2. Quo in genere acuminis in primis Junius[6] Brutus

ciem gerat, nempe ad vafritiam, pertinet.—*Vafritiæ.* Ita legendum Vorstius arbitrabatur. In MSS. legitur *Vafri, Vafriæ, Vafrinæ, Vafer;* plurimi tamen *Vafre*, quod si linea transversa notetur *Vafrie*, plane est *Vafritiæ.* Nam satis notum est in MSS. non antiquissimis unicam litteram *e* poni pro *æ*, et syllabam *ti* non semel omitti. Sic passim occurrit *grē* pro *gratiæ.*

1. *Regnante.* Circiter An. U. 200. Liv. I; Plut. probl. — *Patrifamiliæ.* Sic habent omnes ante Pigh. edd. Liber Danielis et aliquot MSS. *patriciæ familiæ.* Nihili tamen est illud *patriciæ*, quod solis tribuitur Romanis, quum hic, cui vacca illa nata fuit, esset Sabinus. — *Vacca.* Cujus cornua per longum ævum fixa in vestibulo templi Dianæ, quasi miraculum habita sunt.

2. *Aventiniensi.* Cujus templum fuit in Aventino monte.

3. *Romam.* Forsan ne oraculum aliis innotesceret, et vacca sibi præriperetur. — *Actam.* In edd. Aldi et Chalcoc. additur *mactandam*, quæ vox ex annotationibus alicujus procul dubio assuta est.

4. *Religionem.* Id est, metum religionis, ne Deam offenderet, si illotis manibus vaccam immolaret. — *Proximi amnis aqua.* Alii legunt *proxima aqua*, quod Perizonio et Torrenio non displicet.

5. *Reddidit.* Et ex hoc exemplo tam superstitio, quam Romanorum imperitandi cupido elucet. Nec mirum, si his animis imperium orbis terrarum gentiumque fere omnium obtinuerint.

6. *Brutus.* Brutus ob simulatam stupiditatem dictus.

referendus est; nam quum a rege Tarquinio, avunculo suo, omnem nobilitatis indolem [1] excerpi, interque cæteros etiam fratrem suum, quod vegetioris ingenii erat, interfectum animadverteret, obtusi se cordis esse simulavit, eaque fallacia maximas virtutes suas texit: profectus etiam Delphos [2] cum Tarquinii filiis, quos is ad Apollinem Pythium muneribus sacrificiisque honorandum miserat, aurum deo nomine doni clam cavato baculo inclusum tulit; quia timebat, ne sibi cæleste numen aperta [3] liberalitate venerari tutum non esset. Peractis deinde mandatis patris, Apollinem juvenes consuluerunt, *quisnam ex ipsis Romæ regnaturus videretur?* At is, *penes eum summam urbis nostræ potestatem futuram*, respondit, *qui ante omnes matri osculum dedisset.* Tunc Brutus, perinde atque casu prolapsus, de industria se abjecit, terramque, communem omnium matrem existimans, osculatus est. Quod tam vafre telluri impressum osculum, Urbi libertatem, Bruto primum in fastis [4] locum tribuit.

3. Scipio quoque superior præsidium calliditatis amplexus est [5]: ex Sicilia enim petens Africam, quum ex fortissimis peditibus romanis trecentorum equitum numerum complere vellet, neque tam subito posset eos instruere, quod temporis angustiæ negabant, sagacitate consilii assequutus est: namque ex iis « juvenibus, quos secum ex tota Sicilia nobilissimos et ditissimos, sed inermes, habebat, trecentos speciosa arma et electos equos quam celerrime expedire » jussit, velut eos continuo [6] secum ad oppugnan-

1. *Indolem.* Florem nobilitatis.

2. *Delphos.* An. U. 240 et 244 circiter. Livius, lib. I; cap. 56, Vol. I, pag. 158, nostræ editionis. Dionys. l. IV. *Cum.* Ob elapsum e columna lignea anguem, qui terrorem et fugam fecit, et ipsius regis subito pavore perculit pectus.

3. *Aperta liberalitate.* Id est, auro palam ipsi oblato.

4. *Fastis.* Consularibus.

5. *Amplexus est.* An. U. 548. Liv. XXIX, 1.

6. *Continuo secum.* Ex hoc loco Perizonius conjicit, Scipionem tunc instituisse cohort. prætoriam, quam

dam Carthaginem avecturus. Qui quum imperio ut celeriter, ita longinqui et periculosi belli respectu sollicitis animis paruissent; *remittere se* Scipio *illam expeditionem, si arma et equos militibus suis tradere voluissent*[1], edixit. Rapuit conditionem imbellis ac timida juventus, instrumentoque[2] suo cupide nostris cessit. Ergo calliditas ducis providit, ut, si quod protinus imperaretur, grave prius, deinde remisso militiæ metu maximum beneficium fieret.

4. Quod sequitur narrandum est[3]: Q. Fabius Labeo, arbiter a senatu finium constituendorum inter Nolanos et Neapolitanos datus, quum in rem præsentem venisset, utrosque separatim monuit, *ut omissa cupiditate, regredi modo controverso*[4], *quam progredi mallent;* idque quum utraque pars auctoritate viri mota fecisset, aliquantum in medio vacui agri relictum est. Constitutis deinde finibus, ut ipsi terminaverant, quidquid reliqui soli fuit, populo romano adjudicavit. Cæterum etsi circumventi Nolani ac Neapolitani queri nihil potuerunt, secundum

Lipsius Milit. rom. lib. II, dial. 4, ad Scipionem posteriorem ex conjectura refert. Vid. Festus de prætoria coborte. — *Avecturus*. Aliquot MSS. habent *advecturus*. Male. *Avehere* et *advehere* sæpius a librariis commutata perperam esse docet Cl. Drakenborchius ad Sil. IV, 318.

1. *Tradere voluissent*. Hanc lectionem revocavit Torren. auctoritate omnium ante Pig. editionum et duodecim MSS., estque formula solennis edictorum, II, 4, 2, *ludos spectare vellet*. — *Edixit*. Quicumque Siculorum militare nollet, arma, equum cæteraque instrumenta militiæ traderet cuidam Romano, qui vicem ejus expleret in expeditione periculosa et transmarina. Quum omnes hanc conditionem avide arriperent, sic trecentis Siculis Romani equites substituti sine publica impensa.

2. *Instrumento*. Multi libri *instrumenta*. Utrumque vero probum: *cedere alicui aliquid*, et *cedere alicui aliqua re*. Supra, IV, 1, ext. 7.

3. *Narrandum est*. An U. 569. circiter. Cic. Off. I, 10. Alii *narrandum quoque est*. Prorsus præter rem. Dicit auctor admodum simpliciter, *quod sequitur narrandum est*, id est, prætermitti non potest, debet narrari, quoniam vafrum est quam maxime.

4. *Controverso*. *Modus controversus*, hoc loco est pars agri, de qua litigatum. Ed. vet. habet *modo controversa*, id est, tantummodo regrederentur a locis illis, quæ inter ipsos controversa essent.

ipsorum demonstrationem dicta[1] sententia; improbo tamen præstigiorum genere novum civitati nostræ vectigal accessit. Eumdem ferunt, quum a rege Antiocho, quem bello superaverat, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe privaret.

5. Jam M. Antonio remittendum convicium[2] est : qui *idcirco se* aiebat *nullam orationem scripsisse, ut, si quid superiore judicio actum, ei, quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum a se affirmare posset.* Qui facti vix pudentis[3], tolerabilem causam habuit : pro periclitantium[4] enim capite, non solum eloquentia sua uti, sed etiam verecundia abuti erat paratus.

6. Sertorius vero, corporis robore atque animi consilio parem naturæ indulgentiam expertus[5], proscriptione Sullana dux Lusitanorum fieri coactus, quum eos oratione flectere non posset, ne cum Romanis universa acie confligere vellent, vafro consilio ad suam sententiam perduxit : duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum; ac deinde validi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi a juvene eximiarum virium universam[6] convelli jussit.

1. *Dicta*. Cop. Leid. prim. habent *data*. Suet. Claud. c. 15, *facillime dabat*. Livius, IV, 9, *dant jus*. Supra, II, 8, 2, *secundum te litem do*. — *Præstigiorum*. *Præstigium*, ut Vorstius e glossario apponit, est monstrum, a præstringendo, id est, illudendo improvise oculos.

2. *Convicium*. Perizonius malit *commentum*. Frustra. Vult auctor, condonari debere Antonio factum vafrum, nec eum ideo convicio proscindendum, quia id fecit, ut subveniret saluti reorum periclitantium, quibus etiam hoc modo prodesse honestum videri posset. — *Est*. Vid. Cic. pro Cluent.

3. *Pudentis*. Id est, verecundi; sicut Terentius quoque loquitur.

4. *Periclitantium*. Qui capitis causam dicebant : hinc etiam judicia capitalia dicta sunt *pericula*. Vid. supr.

5. *Expertus*. An. U. 675. Front. Strateg. I, 10; Plut. in vit. — *Proscriptione*. Cinnæ enim partes erat sequutus. — *Romanis*. Pigh. dedit *Romanorum*. Præter rem.

6. *Universam*. *Universum* opponitur discretis et separatis; hinc paulo ante : *caudam paulatim*, id est, per

Obtemperatum imperio est. Sed dum adolescentis dextera irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium exsequuta est. Tunc barbaræ concioni, quorsum ea res tenderet, cognoscere cupienti, subjecit : « Equi caudæ consimilem esse nostrum[1] exercitum, cujus partes aliquis aggrediens opprimere possit : universum conatus prosternere, celerius tradiderit victoriam, quam occupaverit. » Ita gens barbara, aspera, et regi difficilis, in exitium suum ruens, quam utilitatem auribus respuerat, oculis pervidit[2].

7. Fabius autem Maximus[3], cujus non dimicare, vincere fuit, quum præcipuæ fortitudinis Nolanum peditem dubia fide suspectum, et strenuæ operæ Lucanum equitem[4] amore scorti deperditum in castris haberet, ut utroque potius bono milite uteretur, quam in utrumque animadverteret, alteri suspicionem suam dissimulavit, in altero disciplinam paululum a recto tenore deflexit; nam illum plene pro tribunali laudando, omnique genere honoris prosequendo, animum suum a Pœnis ad Romanos coegit revocare : et hunc clam meretricem redimere passus, paratissimum pro nobis excursorem[5] reddidit.

partes, *carpi*. In rudibus hominibus acta symbolica et alia, quæ per sensus viam pandunt ad animum, magnam vim exserunt. Meminerimus, quæ apud Græcos olim facta, nec non, quæ Cyrus inter Persas ante expeditiones suas fecerit. De Sertorio vid. etiam Gellium, XV, 22. Mansuefactam cervam secum duxit, quam a Diana dono sibi datam simulabat, a qua tamquam ab ipso numine doceretur, quid opus esset factu. Qua re indomitos barbaros facile dicto fecit parentes.

1. *Nostrum*. Ita ex duodecim MSS. restituit Torrenius. Pigh. dedit *Romanorum*, quod glossa exortum est. Supra, VII, 3, 1, *urbem nostram*.

2. *Pervidit*. Pauci, *prævidit*, unus, *providit*. Perperam.

3. *Maximus*. An. U. 537 et 544. Liv. XXIII, 15, de Marcello narrat idem. Plutarch. in Fabio congruit Valerio.

4. *Equitem*. Livius eum L. Bantium vocat. — *Deperditum*. Id est, qui scortum vehementissime ad insaniam usque amabat. — *Deflexit*. Fabius disciplinam a recto tenore *deflexit*, quum permitteret, ut eques meretricem, a lenone redemptam, in castris haberet.

5. *Excursorem*. Quo uteretur in hostibus explorandis vexandisve.

8. Veniam nunc ad eos, quibus salus astutia quæsita est[1]. M. Volusius ædilis plebis[2] proscriptus, assumpto Isiaci habitu, per itinera viasque publicas stipem petens, quisnam revera esset, occurrentes dignoscere passus non est: eoque fallaciæ genere tectus, in M. Bruti castra pervenit. Quid illa necessitate miserius, quæ magistratum populi romani, abjecto honoris prætexto[3], alienigenæ religionis obscuratum insignibus, per urbem jussit incedere? Omnes[4] aut hi suæ vitæ, aut illi alienæ mortis cupidi, qui talia vel ipsi sustinuerunt, vel alios perpeti coegerunt.

9. Aliquanto speciosius[5] Sentii Saturnini Vetulionis in eodem genere casus, ultimæ sortis auxilium: qui quum a triumviris inter proscriptos nomen suum propositum audisset, continuo præturæ insignia invasit, præcedentibusque in modum lictorum et apparitorum publicorum servis[6]

1. *Quæsita est.* An. U. 710. Appian. Bell. civ. IV.

2. *Ædilis plebis.* Erant *curules* e patriciis, qui sella curuli, et *plebeii ædiles*, præcipue *cereales*, veluti ministri tribunorum, qui subselliis tantum utebantur. Sub tribunorum tutela noceri illis raro poterat. Vid. Dionys. VI; Liv. VII, 1. — *Isiaci.* Isiacus sacerdos est Isidis ægyptiacæ, fortasse ejusdem, quam Græci Δημήτερα et Itali Cererem nominarunt, ut alio loco est expositum. Hi sacerdotes per urbem et vicos cum sistro vagari mendicantes solebant, pollicentesque, se futura prædicaturos si daretur assis, fere ut recentiori ævo Cingari, quos Bohemos vulgo vocant.

3. *Prætexto. Prætextum* pro *prætextus* occurrit etiam in Senec. ep. LXXI; Flor. I, 5; et sæpius apud Nostrum.

4. *Omnes.* Schottus ex vet. cod. legit *O nimis*, quod accipit Perizonius et non improbat Torrenius, quia frigere sententia videtur si vulgata lectio servetur. Sed optimi et antiquissimi codd. habent *omnes.* — *Aut.* MSS. habent *autem.* Sed necesse omnino est, disjunctivum *aut* bis poni, quomodo mox et alterum disjunctivum *vel* positum est. — *Coegerunt.* Damnat ulterius et hos, qui vitæ nimium cupidi omnem indignitatem et turpitudinem vitandæ mortis gratia subire non dubitarunt, et eos, qui alienæ mortis avidi, homines ad eam necessitatem impulere, ut hæc sustinere cogerentur. Qua ex parte carpit triumviratum Octavii, quod rarum.

5. *Speciosius.* An. U. 710. Appianus, B. C. IV, de Pomponio. — *Vetulionis.* Quo nomine discernitur a *Saturnino Apuleio* perduelli.

6. *Servis.* Recte sic edidit Vorst. nam Sentius Saturninus servos suos

subornatis, vehicula comprehendit, hospitia occupavit, obvios submovit; ac tam audaci usurpatione imperii, in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit. Idem ut Puteolos[1] venit, perinde ac publicum ministerium agens, summa cum licentia correptis navibus in Siciliam, certissimum tunc proscriptorum profugium, penetravit.

10. His uno adjecto levioris notæ exemplo, ad externa convertar[2]. Amantissimus quidam filii, quum eum inconcessis ac periculosis[3] facibus accensum, ab insana cupiditate inhibere vellet, salubri consilio patriam indulgentiam temperavit; petiit enim, ut prius quam ad eam, quam diligebat, iret, vulgari ac permissa Venere uteretur. Cujus precibus obsecutus adolescens, infelicis[4] animi impetum satietate concubitus licentis resolutum, ad id, quod non licebat, tardiorem pigrioremque afferens, paulatim deposuit.

DE VAFRE DICTIS AUT FACTIS AB EXTERNIS.

1. Quum Alexander Macedonum rex sorte[5] monitus, ut eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, inter-

in modum lictorum et apparitorum publicorum subornaverat. Et ita septem MSS. Torrenii et multæ edd. Pighius vero dedit *publicorumque servorum*, præter necessitatem. — *Offudit*. MSS. novem *effudit*. Hic vero quum dicantur *tenebræ offundi oculis*, nimis illud proprium et frequens Torrenius existimat quam ut de nostra lectione dubitari possit, etsi complures MSS. dissentiant. Vid. Curt. VII, 6, 22; Valer. Flacc. IV, 482; Phæd. II, 11.

1. *Puteolos*. Oppidum maritimum Campaniæ, non procul ab Averno lacu. — *Profugium*. Alii legunt *perfugium*, quod Torrenio probatur.

2. *Convertar*. Alii *revertar* habent.

3. *Periculosis*. Respicit ad amorem adolescentis erga matronam viro nuptam.

4. *Infelicis*. Pigh. ex Winch. et Colon. dederat *infelicem*, sed Torren. *infelicis* revocavit, quod in omnibus suis MSS. invenerat, et in editione vet. — *Licentis* est, in quo animi sui libidini cum licentia possit indulgere. Legantur Socratis consilia in Xenoph. Memor.

5. *Sorte*. Vaticinio sortilegorum. Forsan in voce πρῶτος latuit ambiguitas, quæ etiam præcipuum principem, nempe Darium, denotare poterat.

fici juberet; asinarium forte ante omnes obviam factum, ad mortem abripi imperasset [1]; eoque quærente, *quidnam se immerentem capitali supplicio innocentemque addiceret*, quum ad excusandum factum suum oraculi præceptum retulisset, asinarius, *Si ita est*, inquit, *rex*, *alium sors huic morti destinavit; nam asellus*, *quem ego ante me agebam*, *prior tibi occurrit.* Delectatus Alexander et illius tam callido dicto, et quod ab errore ipse revocatus erat, occasionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit. Summa in hoc cum calliditate mansuetudo : summa quoque in alterius regis equisone calliditas [2].

2. Sordida Magorum dominatione [3] oppressa, Darius sex adjutoribus ejusdem dignitatis assumptis, pactum cum præclari operis consortibus fecit, ut equis insidentes, solis

1. *Ad mortem abripi imperasset.* Aldus et alii eum sequuti legerunt : *ad mortem arripi imperavit. Eoque.* Attamen Kapp. maluit *abripi*, quod in Ultr. sec. Leid. tert. quart. quint. et in ed. Mog. invenitur. Supra, II, 7, 6; III, 8, ext. 3; Terent. Andr. IV, 4, 47; Cic. Verr. IV, 10. — *Imperasset* vero pro *imperavit*, postulat quum constructio orationis, tum major pars librorum. Recte itaque Torrenius edidit *imperasset*, et distinctionem majorem post *impeperasset* delevit, probante Perizon. qui præterea bene notat, apodosin periodi sequi demum a verbis : *Asinarius inquit.* Cohærent enim, *quum Alexander imperasset*, et *quum eo quærente retulisset.*

2. *Calliditas.* Hanc periodum Kappius sic interpretatur : « *in hoc* (exemplo) *et summa calliditas* (in Asinario) *et summa mansuetudo* (in rege Alexandro) *conspici potest. Nec minus summa calliditas fuit in* (Œbare) *equisone regis alterius* (nempe Darii).

3. *Dominatione.* Vid. Justin. I, 10; Herodot. III, 85. — *Oppressa.* Multi *Perside oppressa.* Sed veteres libri recte omittunt *Perside.* Res enim accidit Magis jam oppressis et occisis, ac Perside liberata. — *Sex.* Sic optime conjecerunt Gevartius et Rupertus; nam libri scripti aut editi pro *sex* aut habent *rex*, aut hanc vocem prorsus omittunt. *Assumpsit Darius sex adjutores*, quum Magum interficere in animo haberet; et fuerunt isti adjutores *ejusdem dignitatis*, quæ voces non intelligi possint, si legas *rex*. — *Adjutoribus.* Nobilibus, qui cum Dario magos oppresserant. — *Solis ortu.* Quum Persæ, sicut et nunc Gebræ ignem, solem, tamquam æternum ignem, adorarent, et, quemadmodum Romani corvis Apollinis, sic equo solis voluntatem revelari posse crederent, quod et in Venedis, sine

ortu cursum in quemdam locum dirigerent; isque regno potiretur, cujus equus in eo primus hinnisset. Cæterum maximæ mercedis competitoribus fortunæ beneficium exspectantibus, solus acumine equisonis sui Œbaris prosperum exoptatæ rei effectum assequutus est: qui in equæ genitalem partem demissam manum, quum ad eum locum ventum esset, naribus[1] equi admovit: quo odore irritatus, ante omnes hinnitum edidit; auditoque eo, sex reliqui summæ potestatis candidati continuo equis delapsi, ut est mos Persarum, humi prostratis corporibus, Darium regem salutaverunt. Quantum imperium, quam parvo interceptum est vaframento!

3. Bias autem[2], cujus sapientia diuturnior inter homines est, quam patria Priene fuit (siquidem hæc etiam nunc spirat, illius[3] perinde atque exstinctæ vestigia tantummodo exstant), *ita* aiebat *oportere homines in usu amicitiæ versari, ut meminissent, eam ad gravissimas inimicitias posse converti.* Quod quidem præceptum prima specie nimis fortasse callidum videatur, inimicumque simplicitati, qua præcipue familiaritas gaudet: sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperietur.

dubio gente olim Persis finitima, locum habuit, non mirum est, Persarum principes soli et equo regis electionem commisisse. Colerus recte monet, hoc etiam apud Germanos moris olim fuisse, et multos ritus utramque gentem habuisse communes. Fortasse jam antiquissimis temporibus, ex regionibus ad Tanaim, Caucasum et mare Caspium sitis coloniæ transiere in Germaniam.

1. *Naribus.* Honestius rem Justinus ex Herodoto narrat.

2. *Bias autem.* Vid. Aristot. Rhetor. lib. II.

3. *Hæc* . . . . *illius.* Pighius, quem sequuti sunt Coler. et Vorst. edidere *illa.... hujus*, invitis MSS. et contra morem Valerii, qui *hic* ad remotius, *ille* ad proximum referre solet, ut jam non semel adnotatum est. — *Converti.* Non eo usque amicum amare debemus, ut, si quid indignum et turpe fecerit vel jusserit, odisse turpia nequeamus; neque sic, ut omnia nostra cogitata patefaciamus, quod periculosum foret: nec tantopere inimicum odisse decet, ut eum in amicitiam, si reconciliationi locus datur, recipere non possimus.

4. Lampsacenæ vero urbis salus, unius vaframenti beneficio constitit[1]; nam quum ad excidium[2] ejus summo studio Alexander ferretur, progressumque extra mœnia Anaximenem, præceptorem suum, vidisset; quia manifestum erat, futurum, ut preces suas iræ ejus opponeret, *non facturum se quod petisset* juravit. Tunc Anaximenes, *Peto*, inquit, *ut Lampsacum diruas*. Hæc velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio, cui destinatum erat, subtraxit.

5. Demosthenis quoque astutia mirifice cuidam ancillæ succursum est, quæ pecuniam depositi nomine a duobus hospitibus acceperat, ea conditione, ut illam simul utrisque redderet; quorum alter interjecto tempore tamquam mortuo socio squalore obsitus, deceptæ omnes nummos abstulit; supervenit deinde alter, et depositum petere cœpit: hærebat misera in maxima pariter et pecuniæ et defensionis penuria, jamque de laqueo et suspendio cogitabat; sed opportune Demosthenes ei patronus affulsit[3], qui ut in advocationem venit, « Mulier, inquit, parata est depositi se fide solvere[4]; sed nisi socium adduxeris, id facere non potest; quoniam, ut ipse vociferaris, hæc dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur. »

6. Ac ne illud parum quidem prudenter: quidam Athenis universo populo invisus, causam apud eum capitali[5]

1. *Constitit*. Vid. Pausan. Eliac. 2; et Suidas. Lampsacum urbs in littore Hellesponti sita, in ora asiatica. Vini feracissima erat regio circumjacens: unde haud dubie a Priapo condita perhibetur, Bacchi et Veneris filio.

2. *Excidium*. Complures MSS. *exitium*, qua voce paulo post de eadem re Noster utitur.

3. *Affulsit*. Aldina et aliæ vett. edd. habent *adfuit*. *Adesse* quidem reis patroni dicuntur, adfulgere tamen magis Torrenio placet, quod subitum et inexspectatum ejus auxilium expresse declarare videtur.

4. *Se fide solvere*. Sic plerique MSS. nonnulli tamen *fidem solvere*, quod non omnino damnandum est; nam *se fide solvere* et *fidem solvere* eodem sensu usurpantur. Vid. Flor. I, 1, 12.

5. *Capitali*. Pigh. scripsit *de capitali*. Verum præpositione *de* nihil

crimine dicturus, maximum honorem subito petere cœpit : non quod speraret, se illum consequi posse, sed ut haberent homines, ubi procursum iræ, qui acerrimus esse solet, effunderent ; neque eum hæc tam callida consilii ratio fefellit : comitiis[1] enim clamore infesto, et crebris totius concionis sibilis vexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, ejusdem plebis paulo post in discrimine vitæ clementissima suffragia expertus est. Quod si adhuc ei ultionem sitienti, capitis sui periculum objecisset, nullam partem defensionis odio obseratæ aures reciperent[2].

7. Huic vaframento consimilis illa calliditas[3] : superior Hannibal[4] a Duilio consule navali prælio victus, timensque classis amissæ pœnas dare, offensam astutia mire avertit; nam ex illa infelici pugna prius quam cladis nuntius domum perveniret, quemdam ex amicis compositum et formatum[5] Carthaginem misit; qui postquam civitatis ejus curiam intravit : « Consulit, inquit, vos Hannibal, quum dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias advenerit, an cum eo confligere debeat. » Acclamavit universus senatus, *non esse dubium quin oporteret*. Tum ille, *Conflixit*, inquit, *et superatus est*. Ita liberum iis

opus est, potestque sextus casus per se causam denotare.

1. *Comitiis*. Id est, in comitiis, dum comitia haberentur. Sic *ludis* pro *ludorum die*. Suetonius in Jul. Cæs. 39.

2. *Reciperent*. Pro *recepissent*. Crebra est ejusmodi temporum permutatio. Vid. infr. lib. VII, cap. 4, §. 5; lib. VIII, cap. 7, §. 4; Justin. lib. XIII, cap. 3, §. 11; Liv. lib. XXXIV, cap. 11, cum not. Gronov.

3. *Calliditas*. An. U. 493. Zonaras; Orosius, IV, 7; Aurel. Vict. XXXVIII.

4. *Hannibal*. Gisgonis filius, qui vixit tempore primi belli punici. Orosius eum *seniorem Hannibalem* appellat, ut ab illo, qui secundo bello punico Romanorum terror fuit, discerneretur. Aurel. Victor illum vocat *Himilconem*.

5. *Formatum*. Ita Torren. bene revocavit ex plerisque MSS. male vero quidam legerunt *ornatum* vel *subornatum*. *Formatum*, id est, instructum mandatis, quæ ageret et loqueretur in curia.— *Misit*. Plinius non misisse quempiam, sed ipsum profugisse ducem, Carthaginem petisse, et a senatu quæsivisse narrat, quid sibi esset faciendum ?

non reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse judicaverant.

8. Alter item Hannibal[1] Fabium Maximum, invictam armorum suorum vim saluberrimis cunctationibus pugnæ ludificantem, ut aliqua suspicione trahendi belli respergeret, totius Italiæ agros ferro atque igni vastando, unius ejus fundum immunem ab hoc injuriæ genere reliquit. Profecisset aliquid tanti beneficii insidiosa adumbratio, nisi romanæ urbi et Fabii pietas, et Hannibalis vafri mores fuissent notissimi.

9. Tusculanis etiam acumine consilii incolumitas parta est[2]: quum enim crebris rebellationibus[3] meruissent, ut eorum urbem funditus Romani evertere vellent, atque ad id exsequendum Furius Camillus, maximus dux, validissimo instructus exercitu venisset; universi ei togati obviam processerunt, commeatusque et cætera pacis munia benignissime præstiterunt. Armatum etiam intrare mœnia passi sunt, nec vultu, nec habitu mutato. Qua constantia tranquillitatis non solum ad amicitiæ nostræ jus, sed etiam ad communionem civitatis usque[4], penetraverunt. Sagaci hercule usi simplicitate; quoniam aptius esse intellexerant, metum officio dissimulare, quam armis protegere.

10. At Volscorum ducis Tulli exsecrabile consilium[5];

1. *Alter item Hannibal.* Ultr. sec. et aliæ *Alter Hannibal.* Harl. *Alter Fabium*, omisso *item Hannibal*, quam lectionem non sine causa veram Torren. arbitratur, suspicans *item Hannibal* e glossa in textum irrepsisse. — *Reliquit.* An. U. 536. Liv. XXII, 23; Plut. in Fabio; Front. I, 8.

2. *Parta est.* An. U. 373. Liv. VI, 25; Plut. in Camill.

3. *Rebellationibus.* Vox e vulgi dicendi more, ut Vossius putat, assumpta. Vid. tamen Tacit. Ann. XIV, 31. — *Maximus dux.* Copes. omittit *dux;* Pigh. vocem utramque ejicit. Sed Torrenius ex genio Valerii judicat, ambo adesse debere. Facit enim ad rem exaggerandam, quod *maximus dux cum validissimo venerat exercitu ad evertendam urbem.*

4. *Usque.* Præpositioni *ad* subjici *usque*, si verbum *penetrare* sequatur, resque ardua significetur, neminem fugit.

5. *Consilium.* An. U. 264. Liv. II, 37, tom. I, pag. 250, nostræ

qui ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accensus, quum aliquot adversis præliis contusos animos suorum, et ob id paci proniores animadverteret, insidiosa ratione, quo volebat, compulit; nam quum spectandorum ludorum gratia [1] magna Volscorum multitudo Romam convenisset, consulibus dixit, *Vehementer se timere, ne quid hostile subito molirentur*: monuitque, *ut essent cautiores*, et protinus ipse urbe egressus est. Quam rem consules ad senatum retulerunt [2]: qui, tametsi nulla suspicio suberat, auctoritate tamen Tulli commotus, *ut ante noctem Volsci abirent*, decrevit. Qua contumelia irritati, facile impelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium versuti ducis, simulatione benevolentiæ involutum, duos simul populos fefellit: Romanum, ut insontes notaret; Volscum, ut deceptis irasceretur.

CAPUT IV.

De strategematis Romanorum.

1. Tulli Hostilii regis. — 2. Sex. Tarquinii L. F. — 3. Obsessorum in Capitolio. — 4. M. Livii, C. Claudii coss. — 5. Q. Metelli Macedonici.

De strategematis Externorum.

1. Agathoclis, Syracusanorum regis. — 2. Hannibalis pœni.

DE STRATEGEMATIS ROMANORUM.

Illa vero pars calliditatis egregia, et ab omni reprehensione procul remota, cujus opera, quia appellatione no-

editionis; Plut. in Coriol. Dyonis. lib. VIII. Hujus Attii Tulli Volscorum principis hospitio utebatur Q. Marcius Coriolanus.

1. *Ludorum gratia*. Audax Colerus, quod quum ab uno codice P. Danielis *gratia* abesse videret, hanc vocem expungere non dubitavit.

2. *Retulerunt*. Quidam *detulerunt*. Livius de eadem re, II, 39: « consules quum ad patres rem dubiam sub certo auctore detulissent. »

stra[1] vix apte exprimi possunt, græca pronuntiatione *Strategemata* dicuntur.

1. Omnibus militaribus copiis Tullo Hostilio Fidenas aggresso[2], quæ surgentis imperii nostri incunabula crebris rebellationibus torpere passæ non sunt, finitimisque tropæis ac triumphis alitam virtutem ejus, spes suas ulterius promovere docuerunt, Metius Fufetius, dux Albanorum, dubiam et suspectam semper societatis suæ fidem repente in ipsa acie detexit. Detecto[3] enim Romani exercitus latere, in proximo colle consedit, pro adjutore speculator pugnæ futurus; ita ut victis insultaret, aut victores fessos aggrederetur. Non erat dubium, quin ea res militum nostrorum animos debilitatura esset[4], quum eodem tempore et hostes confligere, et auxilia deficere cernerent. Itaque ne id fieret, Tullus providit[5]: concitato enim equo omnes pugnantium globos percurrit[6], prædicans, *suo jussu secessisse Metium, eumque, quum ipse signum dedisset,*

1. *Appellatione nostra.* Quinque MSS. habent *appellatione latina*, nil vero mutandum est. Valerius enim pronomen *noster* pro *Romanus* aut *Latinus* frequenter adhibet. — *Exprimi.* Cicero de N. D. III, vocat *consilium imperatorium*; Frontin. in præfatione, *sollertia facta*; Nepos in Eumenis vitæ, cap. 5, p. 192, nostræ Editionis, *callida inventa.*

2. *Tullo Hostilio F. aggresso.* Plerique MSS. *Tullus Hostilius F. aggressus*, quæ male cohærent. Torren. quærit annon Valer. scripserit, *Quum omnibus .... T. Hostilius F. aggressus esset.* Kapp. conjicit, scribas ex oscitantia putasse *o* esse compendium pro *us*. — *Aggresso.* Annal. U. 90. Livium I; Dionys. III; Polyæn. VIII; Serv. ad Æn. VIII, v. 682. Fidenæ urbs Latii mediterranea. — *Torpere.* Pigrescere et languere juventutem rom. toties rebellantes Fidenates non permiserunt.

3. *Detecto.* Albani, relictis Romanorum lateribus, quæ plerumque sociis tegebantur, in collem se receperunt.

4. *Debilitatura.* Sic debilitare ap. Nepot. Datam. VI; et Cic. Orat. I.

5. *Providit.* Livius narrat: eum vovisse XII Salios, fanaque Pallori et Pavori. Sæpissime enim votis ejusmodi, quæ fuit perversa veterum de diis cogitatio, in re ambigua eorum iram placare studebant.

6. *Percurrit.* Non *præcurrit*, ut quidam legunt. Nam sane mens est Valerii, Tullum omnia agmina quanta fieri potuit festinatione adiisse, omnibus ordinibus obequitavisse, ut ita animos confirmaret. — *Jussu.* Similem calliditatem Datamis narrat Corn., XIV, 6. Vid. p. 141 nost. Ed.

invasurum Fidenatium terga. Quo imperatoriæ artis consilio metum fiducia mutavit; proque trepidatione, alacritate suorum pectora replevit.

2. At ne continuo a nostris regibus recedam, Sex. Tarquinius, Tarquinii filius[1], indigne ferens, quod patris viribus expugnari Gabii nequirent, valentiorem armis excogitavit rationem, qua interceptum illud oppidum romano imperio adjiceret. Subito namque se ad Gabinos contulit, tamquam parentis sævitiam et verbera[2], quæ voluntate sua perpessus erat, fugiens; ac paulatim uniuscujusque fictis et compositis blanditiis alliciendo benevolentiam, ut apud omnes plurimum posset, consequutus, familiarem suum ad patrem misit, indicaturum, *quemadmodum cuncta in sua manu haberet;* et quæsiturum, *quidnam fieri vellet.* Juvenili calliditati senilis astutia respondit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuntii parum credens, nihil respondit; sed seducto[3] eo in hortum, maxima et altissima papaverum capita baculo decussit. Cognito adolescens silentio patris simul ac facto, causam alterius argumenti pervidit[4]; nec ignoravit præcipi sibi, «ut excellentissimum quemque Gabinorum aut exsilio submoveret, aut morte consumeret.» Ergo spoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantum non[5] vinctis manibus ei tradidit.

3. Illud quoque a majoribus[6] et consilio prudenter, et

1. *Filius.* A. U. 225, circit. Liv. I; Dion. IV; Flor. I, 7; Front. I, 1. Arist. Polit. V, 10 simile narrat de Periandro. — *Gabii.* Latii civitas.

2. *Verbera.* Hac arte etiam Zopyrum Babylonem Dario prodidisse, Justinus refert.

3. *Seducto.* In locum secretum abducto. V, 9, 4; VIII, 2, 3.

4. *Pervidit.* Sensus est: Tarquinius filius penitus perspexit, quid pater vellet et præciperet *tacitis ambagibus*, et aliud quasi agendo: et cur nuntio nihil responsi dedisset, sed consilium suum ita texisset.

5. *Tantum non.* Hoc solo dempto, quod Gabinorum non erant vinctæ. Alii *tamquam.* Male.

6. *A majoribus.* Nonnullæ edd. præpositionem *a* omittunt, non male. Nam dicitur *mihi provisa res est.* Vid. Cic. Verr. IV, 42. Sed *a me provisa* non minus est probum. Cic. ad Att. II, 1.

exitu feliciter provisum[1]; quum urbe capta Galli Capitolium obsiderent, solamque potiendi ejus spem in fame eorum[2] repositam animadverterent, perquam callido genere consilii, unico perseverantiæ irritamento victores spoliaverunt; panes enim jacere compluribus ex locis cœperunt; quo spectaculo obstupefactos, infinitamque frumenti abundantiam nostris superesse credentes, ad pactionem omittendæ obsidionis compulerunt: misertus est tunc profecto Jupiter romanæ virtutis, præsidium ab astutia mutuantis, quum in summa alimentorum inopia projici præsidia inopiæ[3] cerneret: igitur ut vafro, ita periculoso consilio salutarem exitum dedit.

4. Idemque Jupiter postea præstantissimorum ducum nostrorum sagacibus consiliis propitius adspiravit[4]. Nam quum alterum[5] Italiæ latus Hannibal laceraret, alterum invasisset Hasdrubal, ne duorum fratrum junctæ copiæ intolerabili onere fessas simul res nostras urgerent, hinc Claudii Neronis vegetum consilium, illinc Livii Salinatoris inclyta providentia effecit. Nero enim compresso a se in

1. *Provisum.* An. U. 363. Liv. V, 48; Ovid. Fast. VI, 379; Lactant. I, 20.

2. *Eorum.* Pigh. ex Susiano et Pulm. reposuit *obsessorum*, eumque sequuti sunt Coler. Vorst. et Torrenius. Alii tamen MSS. et omnes edd. habent *eorum*; scilicet *majorum*. — *Consilii.* Multi MSS. et ed. vet. *consilii Romani usi*; sed voces illas quum a plerisque absint, Torrenius, qui hunc locum a Pighio male interpunctum restituit, addere non sustinuit, glossam has olere putans. — *Perseverantiæ.* Unum erat, quod Gallos in obsidendis Romanis perseverare incitaret, quod eos fame vincere posse sperabant; nam vi capi posse Capitolium desperabant, quod locus natura munitissimus esset.

3. *Inopiæ.* Religiosum est, summi Numinis gubernio omnia bona tribuere, et credere, ejus providentiam etiam minus bona hominum consilia in salutem convertere solere. Id ipsum Romani, quamvis Gentiles, faciebant. Jovem appellarunt Pistorem, cujus festum, VI Id. Jun. celebrabatur, Ovid., Fast. VI, 394.

Posse fame vinci, spes excidit: hoste repulso,
Candida Pistori ponitur ara Jovi.

4. *Adspiravit.* An. U. 546. Liv. XXVII, 43; Polyb. II; Front. I, 1.

5. *Alterum .... alterum.* Hannibal tunc *Lucanos* et *Brutios* vexabat in orientali latere Italiæ, Asdrubal ab occasu *Umbris* imminebat.

Lucanis Hannibale, præsentiam suam, quoniam ita ratio belli desiderabat, mentitus[1] hosti, ad opem collegæ ferendam per longum iter celeritate mira tetendit. Salinator in Umbria apud Metaurum[2] flumen proximo die dimicaturus, summa cum dissimulatione Neronem castris noctu recepit. *Tribunos* enim *a tribunis, centuriones a centurionibus, equites ab equitibus, pedites a peditibus excipi* jussit: ac sine ulla tumultuatione, solo vix unum exercitum capiente, alterum inseruit; quo evenit, ne Hasdrubal cum duobus se consulibus præliaturum prius sciret, quam utriusque[3] virtute prosterneretur: ita illa toto terrarum orbe infamis punica calliditas, romana elusa[4] prudentia, Hannibalem Neroni, Hasdrubalem Salinatori decipiendum tradidit.

5. Memorabilis etiam consilii Q. Metellus[5], qui quum proconsule bellum in Hispania adversus Celtiberos gereret, urbemque Contrebiam[6], caput ejus gentis, viribus

1. *Mentitus.* Quum legatis mandaret, easdem agere stationes et vigilias in castris, totidemque, quod antea, ignes accendere, ut deciperet Annibalem et collegæ suppetias ferre posset in prosternendo Asdrubale, præsentiam suam mentitus est. Simili invento callido plures usi sunt, v. c. Eumenes.

2. *Metaurum.* Metaurus flumen ex Umbria defluit in Adriaticum sinum. Non prius Hannibal sensit, Neronem discessisse ad opem collegæ ferendam, quam Nero caput Hasdrubalis in fratris castra conjici jussit.

3. *Utriusque virtute.* Ita habent plurimi et optimi codd. Pighius e Susian. Winch. et Col. ediderat *ab utrisque prosterneretur*, male; quum *ab utroque* dicendum sit, si de duobus tantum consulibus agitur.

4. *Elusa. Elusa* Pœnorum *calliditas* effecit, ut Hannibal a Nerone deciperetur. Nostram lectionem falsam et mancam esse putat Pighius, exque codd. Sus. et Palm. ita restituit, *punica calliditas frustrata fuit; romana prudentia Hannibalem...*; sed, monente Vorstio, nihil habet manci aut falsi; modo recte intelligatur. Non dicit *punicam calliditatem Hannibalem Neroni decipiendum tradidisse*; sed *punicam calliditatem, prudentia romana elusam, Hannibalem N. d. tradidisse.* Calliditas *elusa*, id est, si eludatur, potest aliquem alicui decipiendum tradere.

5. *Metellus.* An. U. 611. Flor. II, 17; Front. I, 1, simile quid de *Metello Pio* narrat. Aurel. Vict. LXI.

6. *Contrebiam.* « Hæc etiam *Trebia* et *Tribula* dicta est, ubi Hannibal acie devicit Romanos. » Sic Colerus e Servio. Sed hoc loco urbs Hi-

expugnare non posset, intra pectus suum diu multumque consiliis agitatis, viam reperit, qua propositum ad exitum perduceret: itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: modo hos obsidebat montes, paulo post ad illos transgrediebatur; quum interim tam suis omnibus, quam ipsis hostibus ignota erat causa inopinatæ ejus ac subitæ fluctuationis: interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi, *quid ita sparsum et incertum militiæ genus sequeretur?* « Absiste, inquit, istud[1] quærere; nam si hujus consilii mei interiorem tunicam consciam sensero, continuo eam cremari jubebo. » Quorsum igitur ista dissimulatio erupit? aut quem finem habuit? Postquam vero[2] et exercitum suum ignorantia, et totam Celtiberiam errore implicavit; quum alio cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam et attonitam oppressit; ergo nisi mentem suam dolos scrutari coegisset, ad ultimam ei senectutem apud mœnia Contrebiæ armato sedendum foret[3].

DE STRATEGEMATIS EXTERNORUM.

1. Agathocles[4] autem, Syracusanorum rex, audaciter callidus: quum enim urbem ejus majore ex parte Carthaginienses occupassent, exercitum suum in Africam trajecit[5], ut metum metu, vim vi discuteret; neque sine effectu:

spaniæ Tarracon. significatur, quum de Celtiberia sit sermo.

1. *Istud.* Pighius et alii *ista;* sed præstat *istud;* utpote melius unam rem quærenti conveniens.

2. *Vero.* Hanc vocem Med. prim. delet. Haud profecto absurde. Ultr. sec. *vera.* Quærit Torrenius annon Valerius scripserit *veri*, ut sit *ignorantia veri.*

3. *Sedendum foret. Foret* pro *fuisset. Sedere* hoc loco est desidere, morari. Vid. Nep. XIV, 8, 1, pag. 143, nostræ editionis.

4. *Agathocles.* Vid. Diod. de reb. Alexand. Justin. XXII, 5. Agathocles ex humili figuli sorte ad regiam majestatem evectus est. — *Audaciter.* Quidam *audacter.*

5. *Trajecit.* Quod et Scipio aliique fecerunt, optimum rati, hostem in ipsius terra aggredi.

nam repentino ejus adventu perculsi Pœni, libenter incolumitatem suam salute hostium redemerunt, pactique sunt, ut eodem tempore Africa siculis, et Sicilia punicis armis liberaretur. Age, si Syracusarum[1] mœnia tueri perseverasset, illa belli malis urgerentur, bona pacis fruenda securæ Carthagini reliquisset. Nunc inferendo quæ patiebatur, dum alienas potius lacessit opes, quam suas tuetur, quo æquiore animo regnum deseruit, eo tutius recepit.

2. Quid, Hannibal cannensi prælio[2]? nonne aciem nostram, prius quam ad dimicandum descenderet, compluribus astutiæ copulatam[3] laqueis, ad tam miserabilem perduxit exitum? Ante omnia enim providit, ut et solem, et pulverem, qui ibi vento multus excitari solet, adversum[4] haberet; deinde *partem copiarum suarum inter ipsum prælii tempus de industria fugere* jussit: quam quum a reliquo exercitu abruptam legio romana sequeretur[5], trucidandam eam ab iis, quos in insidiis collocaverat, curavit; postremo quadringentos equites subornavit, qui simulata transitione petierunt consulem : a quo jussi more transfugarum depositis armis in ultimam pugnæ partem secedere, destrictis gladiis, quos inter tunicas et loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum ce-

1. *Age, si Syracusarum.* Quidam MSS. *Agathocles age Syracusarum.* Ac profecto *age* vix habet locum nisi in exhortatione vel interrogatione. Vide tamen ad VI, 2, 12.

2. *Quid, Hannibal.... aciem nostram, priusquam.* Cod. Brand. *Quid Hannibal cannensi prœlio? nonne aciem nostram.* Copes. et tres Leid. *Quid Hannibal cannensem populi romani aciem*: magis tamen Vorstio placet *aciem nostram*, quod ad hunc modum Valerius dicere soleat *urbs nostra*. Nonnulli addunt *speculatus*. Pighiani codd. *Q. H. c. p. nonne priusquam ad dimicandum desc. ac. populi romani compl.* Sed Ultr. prim. et Leid. quart. habent lectionem textus.

3. *Copulatam.* Id est, vinctam seu copula indutam, ut Gronovius explicat. Vorstius habet *complicatam.* — *Exitum.* An. U. 537. Liv. XXII; Front. II, 2; Florus, Silius Italicus aliique.

4. *Adversum.* Apulia nempe ventis sæpe infestatur, præsertim Iapyge.

5. *Sequeretur.* Quidam *insequeretur.* Haud male. Sic Flor. I, 10.

ciderunt. Hæc fuit punica fortitudo, dolis et insidiis et fallacia instructa: quæ nunc certissima circumventæ virtutis nostræ excusatio est, quoniam decepti magis quam victi sumus.

CAPUT V.

De repulsis.

1. Q. Ælii Tuberonis. — 2. P. Scipionis Nasicæ. — 3. Æmilii Paulli. — Q. Metelli Macedonici. — 5. L. Cornelii Sullæ. — 6. M. Catonis uticensis.

Campi quoque repræsentata conditio ambitiosam ingredientes viam [1], ad fortius sustinendos parum prosperos comitiorum eventus utiliter instruxerit; quia [2] propositis ante oculos clarissimorum virorum repulsis, ut non minore cum spe honores, ita prudentiore cum animi judicio petent; meminerintque nefas non esse, aliquid ab omnibus uni negari, quum sæpenumero singuli cunctorum voluntatibus resistere fas esse duxerint; scientes etiam, patientia quæri debere, quod gratia impetrari nequierit.

1. Q. Ælius Tubero, a Q. Fabio Maximo, epulum populo nomine P. Africani patrui sui dante [3], rogatus ut triclinium sterneret, lectulos punicanos pellibus hœdinis stravit, et pro argenteis vasis samia exposuit: cujus rei deformitas sic omnes offendit, ut quum alioqui vir egre-

1. *Viam.* Perizon. conjecit *vitam.* Absque necessitate; *ambitiosam ingredi viam* est, honores petere.

2. *Quia... ut... ita... petent.* Pigh. pro *quia* posuit *ut;* sequens *ut* expunxit; pro *ita* dedit *ac*, et pro *petent* maluit *petant.* Sed Torreniani codd. comprobant antiquam lectionem, a Pighio interpolatam.

3. *Dante.* An. U. 624. Cic. pro Muræn. 36; Sen. epist. 95, et 99. — *Punicanos.* Ligneos, qui in publicum sternebantur. Pœnos opifices opere lignario olim claruisse Romæ, argumento sunt aliquot Catonis de R. R. et Plauti loca. Cato *fenestras punicas, torcular punicum, coagmenta punica* commemorat, et Plautus in Aulularia *laternam punicam.* Isidorus, XX, hæc habet: *Punicani lecti parvi et humiles primum a Carthagine advecti, et inde nominati.* — *Pellibus hœdinis* nihil abjectius et sordidius habitum. — *Samia. Vasa Samia* egregie fabricata erant, sed fictilia.

gius haberetur, comitiisque prætoriis candidatus in campum L. Paullo avo, et P. Africano avunculo nixus descendisset, repulsa inde notatus abiret; nam ut privatim semper continentiam probabant, ita publice maxima cura splendoris habita est. Quocirca urbs[1] non unius convivii numerum, sed totam se in illis pelliculis jacuisse credens, ruborem epuli suffragiis suis vindicavit.

2. P. autem Scipio Nasica[2], togatæ potentiæ clarissimum lumen, is qui consul Jugurthæ bellum indixit; qui Matrem Idæam[3] a phrygiis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit; qui multas et pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit[4]; quo principe senatus per aliquot annos gloriatus est: quum ædilitatem curulem adolescens peteret, manumque cujusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, joci gratia interrogavit eum, *num manibus solitus esset ambulare?* quod dictum a circumstantibus exceptum, ad populum manavit, causamque repulsæ Scipioni attulit; omnes namque rusticæ tribus[5] paupertatem

1. *Urbs.* Aldus *urbs nostra.* Jam *nostra* sæpe quidem adjicit Noster; sed hic tamen eo nihil opus est. Pigh. sicut initio operis ferre non potuit *urbis* Romæ, proque eo substituit *populi romani*, et hic pro *urbs* posuit *civitas.* Sed nostra lectio antiquissimis codd. nititur.

2. *Nasica.* An. U. 642. Cic. in Bruto, 34; Sallust. Jugurth. 27; supr. I, 1, 1. Errat hoc loco Valerius, tribuendo *uni* Scip. Nasicæ, quod *quatuor* tribuere debebat. Is enim, qui cos. Jugurthæ, anno urbis 642, bellum indixit, fuit filius *Serapionis.* Alter, qui Matrem Idæam e phrygiis sedibus Romam migrantem, manu sua excepit, fuit pater *Corculi*, *Serapionis* avus, anno urbis 562, cos. Nasicæ quatuor sic sequuntur: *P. Scipio Nasica, vir optimus*, cos. 562. — *Corculum*, cos. 591, et 598. — *Serapion*, cos. 615. — *P. Scip. Nas.* in consulatu, 642, mortuus. — *Is qui.* Ed. vet. cum omnibus fere MSS. Torrenii *is* omittit.

3. *Matrem Idæam.* Leid. sec. habet *Matrem deam.* Hæc est quæ et *Mater magna* et *Cybele* nominatur. Vid. I, 1, 1. — *E phrygiis sedibus.* Quidam *e phrigicis.* Intelligitur autem Pessinus, urbs Phrygiæ.

4. *Oppressit.* An. U. 608. Cicer. pro Planc. 21.

5. *Tribus.* *Tribus* distinctæ sunt

sibi ab eo exprobratam judicantes, iram suam adversus contumeliosam ejus urbanitatem destrinxerunt: igitur civitas nostra nobilium juvenum ingenia ab insolentia revocando, magnos et utiles cives fecit; honoribusque, non patiendo eos a securis[1] peti, debitum auctoritatis pondus adjecit.

3. Nullus error talis in L. Æmilio Paullo conspectus est; sed tamen aliquoties frustra consulatum petiit[2]; idemque, quum jam campum repulsis suis fatigasset, bis consul et censor factus, amplissimum dignitatis gradum obtinuit: cujus virtutem injuriæ non fregerunt, sed acuerunt, quoniam quidem ipsa nota accensam cupiditatem[3] summi honoris ardentiorem ad comitia detulit, ut populum, quem nobilitatis splendore et animi bonis movere non potuerat, pertinacia vinceret.

4 Q. autem Cæcilium Metellum[4] pauci et mœsti amici, consulatus repulsa afflictum, tristitia ac rubore plenum, domum reduxerunt: eumdem de Pseudophilippo[5] triumphantem universus senatus lætum et alacrem in Capitolium prosequutus est. Achaici etiam belli, cui summam

in *urbanas*, *suburbanas*, quæ erant libertinorum, et *rusticas*, ingenuorum rure degentium.

1. *Securis.* Id est, qui certi essent, se votorum compotes futuros esse. Quidam ediderunt *a scurris*, quod alienum est, neque cum præcedentibus *clarissimum lumen* convenire videtur.

2. *Petiit.* Teste Aurelio Victore, qui narrat: « primo consulatu, quem *post tres repulsas* (anno urbis 567, 68, 69) adeptus erat, de Liguribus triumphavit. » Vid. Liv. XXXIX et XLIV.

3. *Accensam cupiditatem.* Sic ex codd. Torren. restituit, quum Pigh. Coler. et Vorst. edidissent *accensus cupiditatem.*

4. *Metellum.* An. U. 608 et 9. Aurel. Vict. LXI. An. U. 607. App. Punic. An. U. 606. Just. XXXIV, 2. — *Repulsa.* Invisus plebi ob nimiam severitatem, duas tulit repulsas. — *Afflictum.* Pighius trium codd. vitiosam lectionem *afflatum* recepit, quin immo hanc elegantem esse loquendi formulam arbitratur. Sed *afflatus repulsa* nullo modo latine dici recte affirmant Torren. et Kappius.

5. *Pseudophilippo.* Verum ei nomen fuit Andrisco: qui Persei (juxta alios Philippi ex concubina nati)

manum L. Mummius adjecit, maxima pars ab hoc viro profligata est. Eine ergo populus consulatum negare potuit, cui mox duas clarissimas provincias aut daturus erat, aut debiturus, Achaiam et Macedoniam [1]? Et quidem hoc facto, meliore eo cive usus est; intellexit enim, quam industrie sibi gerendus esset consulatus, quem tanto labore impetrari senserat.

5. Quid tam excellens, quid tam opulentum, quam L. Sulla [2]? Divitias et imperia largitus est [3]; leges vetustas abrogavit [4], novas tulit: hic quoque in eo campo, cujus postea dominus exstitit, repulsa præturæ sugillatus est; omnia loca petiti honoris, si quis modo deorum formam et imaginem futuræ ejus potentiæ populo romano repræsentasset, impetraturus.

6. Sed ut comitiorum maximum crimen referam, M. Porcius Cato [5], plus moribus suis præturæ decoris adjectu-

filium se gessit, Macedoniamque vel voluntate incolentium, vel armis occupavit. — *Eumdem .... prosequutus est.* Sic omnes MSS. et edd. quos Vorst. et Torren. maluerunt sequi quam emendationem Pighii legentis : *quem de Pseudophilippo ... prosequutus erat ... profligata fuerat. ... aut debebat aut erat debiturus? Et quidem hoc facto*, etc. omissis *Achaiam et Macedoniam.* Scilicet ex historia romana constat Metellum Macedonicum de Pseudophilippo triumphasse, quum adhuc prætor esset, et antequam consulatum peteret. Valerius autem scribit, Metello Achaiam et Macedoniam post consulatus repulsam datam esse; quod quum manifesto falsum sit, Pigh. textum corrigere voluit, ne Valerius erroris insimulari posset.

1. *Macedoniam. Achaiam* Pighius expunxit, et *Hispaniam* addere Macedoniæ maluit, quam post consulatum, Celtiberis subactis, in potestatem Romanorum redegit. Vid. Florum, II, 17. Sed lectio de Achaia confirmatur, quod non tantum de macedonico, sed et de achaico bello prædixerat. Negari tamen nequit, in hoc errasse Valerium, quod tradit, Metello Achaiam et Macedoniam demum *post consulatus repulsam* datas esse.

2. *Sulla.* Vid. Plut. in vit.; Appian. Civ. I. An. U. 659.

3. *Largitus est.* Nam occupata republica, proscriptorum civium bona donavit, magistratus, provincias atque imperia pro sua libidine distribuit.

4. *Abrogavit.* Illas nimirum, quæ suis rationibus obsisterent, et præsertim quum cives a Mario proscriptos revocaret.

5. *Cato.* An. U. 698. Plutarch.

rus, quam prætexto ejus splendoris ipse laturus, consequi illam a populo aliquando non potuit. Proxima dementiæ suffragia: quæ satis quidem graves pœnas erroris sui pependerunt; quoniam, quem honorem Catoni negaverant, Vatinio dare coacti sunt: ergo si vere æstimare volumus, non Catoni tunc prætura, sed præturæ Cato negatus est.

CAPUT VI.

De necessitate Romanorum.

1. Populi romani post cladem cannensem. — 2. Casilinatum in obsidione. — 3. Prænestinorum militum in eadem obsidione. — 4. Populi romani bello Mariano. — 5. C. Cæsaris ad Mundam. — 6. Populi asiatici bello parthico.

De necessitate Externorum.

1. Cretensium a Q. Metello obsessorum. — 2. Numantinorum a P. Scipione. — 3. Calagurritanorum a Cn. Pompeio.

DE NECESSITATE ROMANORUM.

Abominandæ quoque necessitatis[1] amarissimæ leges, et truculentissima imperia, tum urbem nostram, tum etiam exteras gentes multa non intellectu tantum, sed etiam auditu gravia, perpeti coegerunt.

1. Nam aliquot adversis præliis secundo punico bello exhausta militari juventute romana, senatus auctore Ti. Graccho consule[2] censuit, *uti publice servi adversus pro-*

in ejus vit. — *Prætexto. Prætextum* præturæ est ornatus, quo et prætor utebatur. Vid. supra, II, 10, 1; VII, 1, 1, et 3, 8. De Vatinio vid. supra IV, 2, 4.

1. *Necessitatis.* Beatus ille qui urgente necessitate duraque sorte pressus animum non abjicit, sed præsenti animo ex ipsis malis quædam remedia reperit, ac prudenter difficultatibus et discriminibus se expedit, ne cum spe et salutem perdat.

2. *Consule.* Pigh. ex Camp. legit *consule designato.* — *Censuit.* An. U. 537. Liv. XXII, 57; Macrobius Sat. I; Servius ad Virg. Æn. IX,

pulsandorum hostium impetum emerentur: eaque de re per tribunos plebis ad populum lata rogatione tres creati sunt viri, qui quatuor et viginti millia[1] servorum comparaverunt : adactosque[2] jurejurando, *strenuam se fortemque operam daturos, quoad Pœni essent in Italia*, datis armis, in castra miserunt. Ex Apulia etiam et a Fidiculis[3] septuaginta atque ducenti ad supplementum equitatus sunt empti. Quanta violentia est casus acerbi! Quæ civitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capite censos habere milites fastidierat, eadem cellis servilibus[4] extracta corpora, et a pastoralibus casis collecta mancipia, velut præcipuum firmamentum exercitui suo adjecit. Cedit ergo interdum generosus spiritus utilitati, et fortunæ viribus succumbit : ubi nisi tutiora consilia legeris, speciosa[5] sequenti concidendum est. Cannensis autem clades adeo urbem nostram vehementer confudit[6], ut M. Junii opera,

547.— *Propulsandorum.* Lipsio, cui difficilior lectio non præferenda videtur, placet : *ad propulsandum hostium impetum.*

1. *Viginti millia.* Livius et Macrob. octo tantum millia fuisse tradunt. Quare Lipsius et alii delendum putant *et viginti;* sed contra libros omnes; præter Med. sec.

2. *Adactosque.* Sacramento adstrictos more legitimæ militiæ. — *Datis armis.* Ita Aldus et Chalcocondyles, quos Pighius et alii sunt sequuti. Sed plures MSS. *laturos arma*, quæ lectio nec Kappio nec Torrenio displicet, si modo ita exponas, ut verba *laturos arma*, ad jusjurandum servorum pertineant, ejusque partem alteram efficiant. Sensus tunc esset jurisjurandi : se velle fortiter dimicare, se non prius arma deposituros, quam Pœni Italia excessissent. Unus Brand. *daturos arma.* Leidensis. sec. *datura arma.*

3. *Fidiculis.* Cluverius legere mavult *Pœdiculis*, cui assentit Torrenius. Pœdiculi fuere Italiæ gens, de qua Plinus, III, 2; Strabo, XVI; Justin. XII, 2.

4. *Servilibus.* Cubiculis servorum. Senec. controv. XXI. — *Extracta corpora.* Servi corpore maxime censebantur. Vid. Curt. IV, 11, 6; V, 6, 6, et sic Græcis servi αἰχμάλωτα σώματα dici constat satis.

5. *Speciosa. Speciosa* ad *consilia* et *sequenti* referendum est. Sensus : qui sequutus fuerit speciosa magis, quam utilia consilia, interiturus est. Vid. Vell. II, 113; Curt. V, 1, 8.

6. *Confudit.* Perturbavit, perculit. Non igitur cum Aldo legas *contudit.* — *M. Junii opera.* Sic habent MSS. unde Gronovius conjicit, *M. Junio Pera, d. rempub. administrante.* Sagacissime, judice Torrenio, quum

dictatura rempublicam administrantis, spolia hostium affixa templis, deorum numini consecrata, instrumento militiæ futura convellerentur, ac prætextati pueri arma induerent, addictorum[1] etiam, et capitali crimine damnatorum sex millia conscriberentur. Quæ si per se adspiciantur, aliquid ruboris habeant; si autem admotis necessitatis viribus ponderentur, sævitiæ temporis convenientia præsidia videantur. Propter eamdem[2] cladem senatus Otacilio, qui Siciliam, et Cornelio Mammulæ, qui Sardiniam proprætoribus obtinebant, querentibus, « quod neque stipendium, neque frumentum classibus eorum et exercitibus socii præberent », affirmantibus etiam, ne habere quidem eos, unde id præstare possent, rescripsit, « ærarium longinquis expensis non sufficere: proinde, quo pacto tantæ inopiæ succurrendum esset, ipsi viderent. » His literis quid aliud quam imperii sui gubernacula e manibus abjecit? Siciliamque et Sardiniam, benignissimas urbis nostræ nutrices[3], gradus et stabilimenta bellorum, tam multo sudore et sanguine in jus ac potestatem redactas, paucis verbis, te scilicet Necessitate jubente, dimisit.

2. Eadem[4] Casilinates obsidione Hannibalis clausos,

Pera sit usitatum genti Juliæ cognomen, nec consentaneum sit majestati dictatoris, ut id, quod refertur, *opera* ejus factum dicatur. — *Prætextati.* Qui XVII ætatis annum nondum attigerant.

1. *Addictorum. Addicti* seu *nexi*, qui creditoribus propter nomina in servitutem temporariam a prætore addicebantur. Vid. Plaut. in Pœnulo : « *ubi in jus venerit, addicet prætor familiam totam tibi.* »

2. *Cladem.* An. U. 547. Livius, XXIII, 2. — *Præberent.* At Livius, a sociis benignissime erogatum stipendium et frumentum, narrat : nec amiserunt tunc Romani illas provincias, sed obtinuerunt. — *Expensis.* Duodecim MSS. *impensis.* Forsan non male. Vid. infra, III.

3. *Nutrices.* Præcipue Sicilia, quam *cellam penariam* reipublicæ, ταμεῖον, *fiscalia horrea, frumento, melle, sale abundantia* vocabant. *Sardiniæ*, licet ex parte asperæ, laudat tamen Horat. I, od. 31, *opimas segetes feracis.* — *Te.* Pighius, *ita.* Sed apostrophen hoc loco esse demonstrat paullo post sequens *voluisti.*

4. *Eadem..... voluisti.* Guyet. legit *idem voluit*, subintelligens *senatus.* Male vero, nam Valerius ne-

alimentorumque facultate defectos, lora necessariis vinculorum usibus subducta, eque scutis detractas pelles, ferventi resolutas aqua, mandere voluisti. Quid illis, si acerbitatem casus intueare, miserius? si constantiam respicias, fidelius? qui, ne a Romanis desciscerent, tali cibi genere uti sustinuerunt, quum pinguissima arva sua fertilissimosque campos mœnibus suis subjectos intuerentur. Itaque Campanæ urbis[1], quæ punicam feritatem deliciis suis cupide fovit, in propinquo situm Casilinum, modo rara virtute clarum, perseverantis amicitiæ pignore impios oculos verberavit.

3. In illa obsidione et fide quum trecenti Prænestini permanerent[2], evenit, ut ex his quidam murem captum ducentis potius denariis vendere, quam ipse leniendæ famis gratia consumere mallet; sed, credo, deorum providentia[3] et venditori et emptori, quem uterque merebatur,

cessitatem ipsam appellat. Nonnulli codd. *eadem Casilinates obsidione Hannibalis clausi, ... defecti .... voluistis.* Sed non satis recte *Casilinates* dicuntur *voluisse illa mandere*, qui suprema compulsi necessitate id fecerunt; bene vero illud tribuitur necessitati per prosopopœiam. — *Obsidione.* An. U. 537. Liv. XXIII, 19; Cic. de Inv. II, 57. *Casilinum* profugi a Cannis occuparant. Hi quum Pœnorum exercitus partem bis a mœnibus propulissent, Hannibal ipse oppidum circumsedit. Tandem forti perseverantia sua ita Hannibalem vicerunt, ut secum agi pateretur de liberorum capitum redemptione. Vid. Strabo, V, in fin.

1. *Urbis.* Ductus Capuam Pœnorum exercitus in hiberna, sic se omnibus voluptatibus immersit, ut quos nulla vis mali ante vicerat, postmodum omnia bona perdiderint. Nam luxuria corpore et animis enervati, qui antea invicti fuerant, tunc vix militiæ labores sustinuerunt. — *Modo rara.* Ita Pigh. ex Winch. Col. Sus. et Pulman. edidit. Quidam, *modo rarum.* Plures etiam *moderatum.* Perizonius conjicit *Casilinum contraria virtute clarum.* Torrenius autem : *Casilinum roboratum virtute, clarum.* Kapp. credit *modo rarum* ortum esse ex *moderatum*, quod præfert; ita ut ea sit mens Valerii : Casilinum, oppidum parvum ideoque modestum, virtute tamen sua clarum fuit, et Capuæ superbæ monstravit quæ facere debuisset.

2. *Permanerent.* A. U. 537. Front. IV, 5; Plin. VIII, 57; Strabo, V.

3. *Providentia.* Male Vorst. post *providentia* intrusit lectionem quorumdam librorum *effectum*, quod bene jam Pighius expunxerat, et jure ejecit Torrenius.

exitum attribuit. Avaro enim fame consumpto, manubiis sordium [1] suarum frui non licuit : æqui animi vir ad salutarem impensam faciendam, care quidem, verum necessarie, comparato cibo vixit.

4. C. autem Mario et Cn. Carbone consulibus [2], bello civili cum L. Sulla dissidentibus, quo tempore non reipublicæ victoria quærebatur, sed præmium victoriæ res erat publica, senatusconsulto aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus stipendia deessent, conflata sunt; digna enim erat causa, hinc an illi crudelitatem suam proscriptione civium satiarent, ut dii immortales spoliarentur. Non ergo patrum conscriptorum voluntas, sed tua, teterrima Necessitas, truculenta manus illi consulto stilum impressit [3].

5. Divi Julii exercitus, id est, invicti ducis invicta dextera, quum armis Mundam clausisset [4] aggerique exstruendo materia deficeret, congerie hostilium cadaverum, quam desideraverat altitudinem instruxit; eamque tragulis [5] et pilis, quia roboreæ sudes deerant, magistra novæ molitionis necessitate usus vallavit.

6. Atque ut divinam filii mentionem cælestis patris

1. *Sordium.* Avaritiæ; quia nihil hominem reddit sordidiorem, quam illud vitium.

2. *Consulibus.* An. U. 671. — *Conflata sunt. Æs conflatum* dicitur in signatam pecuniam redactum: *æs grave* tantummodo pensatur.

3. *Impressit.* Id est, senatus, vi coactus, decrevit, ut aurum et argentum e templis auferretur. Alii ironiam hoc loco invenere, quia satius fuerit, templorum ornamenta sub Mariana factione salva habere, quam Syllæ tyranno relinquere. Sed latuit senatum Sullæ animus speravitque, oppressis Marianis rempub. liberam fore. Quocirca necessitate compelli visi sunt, Sullæ ferre suppetias. Ita hoc loco non admittenda est ironia.

4. *Clausisset.* Id contigit bello hispaniensi adversus Cn. et Sext. Pompeios. An. U. 708. *Munda*, oppidum Hispaniæ, ubi tam anceps diu et triste prælium, quale vix antea, ut Cæsar jam de extremis cogitaret. Vid. Dio, XLIII.

5. *Tragulis. Tragulæ* sunt tela gallica : *sudes* autem pali acuti ex utraque parte in summitate præusti.

recordationi subnectam[1], quum effusurus se in nostras provincias Parthorum rex Phraates videretur, vicinæque imperio ejus regiones subita indicti tumultus denuntiatione quaterentur: tanta in Bosphorano[2] tractu commeatus penuria incessit, ut sex millibus denariis singula vasa olei, frumentique modiis totidem mancipia permutarentur. Sed amarissimam tempestatem Augusti cura[3], tutelæ tunc terrarum vacans, dispulit.

DE NECESSITATE EXTERNORUM.

1. Cretensibus nihil tale præsidii affulsit[4]: qui obsidione Metelli ad ultimam usque penuriam compulsi, sua jumentorumque suorum urina sitim torserunt, justius dixerim, quam sustentarunt: quia dum vinci timent, id passi sunt, quod eos ne victor quidem pati coegisset.

2. Numantini autem, a Scipione vallo et aggere circumdati[5], quum omnia, quæ famem eorum trahere poterant,

1. *Subnectam.* An. U. circiter 733. Vid. Sueton. in Aug.

2. *Bosphorano. Bosphorus* vel a ferendo bove dictus, vel a transitu bovis, vel ab angustis meatibus bovi fere perviis. Alter *Bosphorus* est *thracicus* juxta Byzantium; de quo h. l. sermo est; alter *Cimmerius* in introitu paludis Mæotidis. — *Sex millibus.* Pigh. quem sequutus est Colerus edidit: *uti a militibus, singulis olei.* Contra lectionem Pighianam monet Vorstius, si *singulis* verum esset, non sequi debuisse *totidem* sed *singula.* Torrenio vero *militibus* non placet, quod cura providendi commeatibus ad duces potius quam ad milites pertinuisse videatur. Perizonius et Kapp. accipiunt *sex millibus*, sed pro *denariis* malint *denarium*, quod habet editio Ascensiana. Quidquid sit, locus non videtur sanus.

3. *Augusti cura.* Augustus, quum fames Romam etiam pervasisset, omnes peregrinos et servitiorum partem urbe ejecit, exceptis medicis et præceptoribus. Post hæc temperavit, ut non minorem aratorum et negotiantium, quam populi reliqui rationem duceret.

4. *Affulsit.* An. U. 635. Livius, XCIX; Flor. III: 7. Quod *Cretenses* Mithridati favisse viderentur, placuit injuriam armis vindicare. Antonio autem fugato, Metellus deinde totam insulam igne ferroque populatus, incolas intra castella et urbes redegit. A devicta Creta hic Macedonici filius *Creticus* dictus est.

5. *Circumdati.* An. U. 620. Liv. LIX; Flor. II, 28.

consumpsissent, ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt. Quapropter capta jam urbe, complures inventi sunt, artus et membra[1] trucidatorum corporum sinu suo gestantes. Nulla est in his necessitatis excusatio[2]; nam quibus mori licuit, sic vivere necesse non fuit.

3. Horum trucem pertinaciam in consimili facinore Calagurritanorum[3] exsecrabilis impietas supergressa est: qui quo perseverantius interempti[4] Sertorii cineribus, obsidionem Cn. Pompeii frustrantes, fidem præstarent, quia nullum jam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas natosque ad usum nefariæ dapis verterunt. Quoque diutius armata juventus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadaverum reliquias salire[5] non dubitavit. En quam aliquis in acie hortaretur[6] ut pro salute conjugum et liberorum fortiter dimicaret! Ex hoc nimirum hoste, tanto duci pœna magis quam victoria petenda fuit: quia plus vindicatus libertatis, quam victus gloriæ afferre[7] potuit; quum omne serpentum ac ferarum genus comparatione sui

1. *Artus et membra.* Vel abundantia est: vel *artus* intelligimus membrorum conjunctiones, unde articuli; *membra* vero corporis partes, ut sunt humeri, brachia, etc.

2. *Necessitatis excusatio.* Seneca, IV Declam. *Necessitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium.*

3. *Calagurritanorum.* An. U. 681. Flor. III, 22; Oros. V, 23; Juven. XV, 93. Calagurris urbs est Hispan. Tarracon. nunc *Calahorra* in Castil.

4. *Interempti.* Inter epulas a Perpenna, legato suo.

5. *Salire.* Colerus legit *sallire*, partim ex libro Dan., partim ex præcepto Diomedis grammatici vetustissimi.

6. *Hortaretur.* In his patet esse ironiam. Et sensus quidem hic est: eam juventutem, quæ uxores et liberos mactaverat, moneri non posse, ut pro salute conjugum et liberorum fortiter in acie dimicet. Ita quidem Vorstius, quem merito sequutus est Torrenius, restituit, adstipulantibus quibusdam edd. vett. et probantibus Gronov. et Perizonio. Plures MSS. *En quem aliquis.* Alii: *En unquam aliquis.* Pigh. *Eamne aliquis.* Alii aliter.

7. *Afferre.* Id est, Pompeius utique ex tam immani hoste pœnam potius, quam victoriam petere debuit. Nam dum gravius in eum animadverteret, eumque puniret, plus consuluit securitati publicæ, quam si gloriæ suæ tantummodo inservire, hostemque victum conservare maluisset.

titulo feritatis superavit. Nam quæ illis dulcia vitæ pignora proprio spiritu cariora sunt, ea Calagurritanis prandia atque cœnæ exstiterunt.

CAPUT VII.

De testamentis rescissis[1].

1. Patris qui filium exheredaverat. — 2. M. Anneii Carseolani. — 3. C. Tettii. — 4. Septiciæ Trachalorum matris. — 5. Terentii cujusdam. — 6. Næviani cujusdam. — 7. Juventii cujusdam.

Vacemus nunc negotio, quod actorum hominis et præcipuæ curæ, et ultimi est temporis: consideremusque quæ testamenta aut rescissa sunt legitime facta; aut, quum merito rescindi possent, rata manserunt: quæve ad alios quam qui exspectabant, honorem[2] hereditatis transtulerunt.

1. Atque ista ut ordine, quo proposui, exsequar, militantis cujusdam pater[3], quum de morte filii falsum e castris nuntium accepisset, aliis heredibus scriptis decessit. Peractis deinde stipendiis[4], adolescens reversus, domum errore patris, impudentiaque amicorum sibi clausam reperit. Quid enim illis inverecundius? florem juventæ pro

1. *Rescissis.* Hoc caput illustravit Schultingius exercitatione sua *de test. rescissis*, quam nostræ editioni inseruimus.

2. *Honorem.* Sicut exheredatio sæpius contumelia, contumeliæ ludibrium injuria; sic hereditas *honor* nominatur.

3. *Pater.* Vid. Cic. de Or. I, 38.

4. *Stipendiis.* Expleto militiæ tempore ab anno XVII, ad XLVI usque. — *Adolescens.* Etiam post annum trigesimum *adolescentes* vocatos ostendit Manut. ad Cic. Epist. ad fam. II, 1. — *Reversus, domum errore patris... reperit.* In MSS. et editionibus vett. legitur, *adolescens domum petit* (vel *petiit*,) *errore patris imprudentiaque amicorum domum sibi clausam reperit. Domum* in omnibus geminatur, sed in quibusdam iterum post *petit* collocatur. Nonnulli *imprudentia*, sed omnino male. *Impudentiam* respicit quod sequitur, *quid enim illis inverecundius?* *reversus* nusquam apparet, quare Torrenio et Kappio ejiciendum videtur.

republica absumpserat, maximos labores et plurima pericula toleraverat, adverso corpore exceptas ostendebat cicatrices, et postulabat, *ne avitos ejus lares otiosa, ipsi urbi onera possiderent*. Itaque depositis armis coactus est in foro togatam[1] ingredi militiam. Acerbe. Cum improbissimis enim heredibus de paternis bonis apud centumviros[2] contendit; omnibusque non solum consiliis[3], sed etiam sententiis, superior discessit.

2. Item M. Anneii[4] Carseolani, splendidissimi equitis romani, filius, a Sufenate avunculo suo adoptatus, testamentum naturalis patris, quo præteritus erat, apud centumviros rescidit, quum in eo Tullianus, Pompeii Magni familiaris, ipso quidem Pompeio signatore, heres scriptus esset; itaque plus illi in judicio cum excellentissimi viri gratia, quam cum parentis cineribus negotii fuit: cæterum quamvis utraque hæc adversus eum nitebantur, tamen paterna bona obtinuit; nam L. quidem Sextilius et P. Po-

1. *Togatam*. Disceptationem et controversiam, ut in foro apud judices de paternis bonis diceret.

2. *Centumviros*. Erat *centumvirale judicium*, cui inter alia præcipue controversiæ de hereditatibus deferebantur. Ex XXXV tribubus, quot nempe erant in urbe, terni eligebantur ex unaquaque judices, et quamvis plures essent, *centum* tamen *virorum* nomen retinuerunt. Præerat prætor urbanus, qui hastam tenebat, præcipuum judiciorum signum, ut ait Festus Pompeius. Unde centumviralis hasta legitur in Suetonio. Vid. Plin. lib. I, ep. 5, § 4.

3. *Omnibus non solum consiliis*. *Consilia* Valerius nominat quæ Plin. et Quintil. *judicia* vocant, quorum *quatuor* in uno loco congregata fuisse apparet. Quintil. tamen ea *in duas hastas* divisa esse ait, et *centumvirilia judicia duplicia* vocat, unde Gesnerus statuit judicium centumvirale nonnunquam *in duas partes*, quarum unaquæque *hastam* sibi suam haberet auctoritatis signum, divisum esse. Sensus autem Valerii est, militem non modo ex sententia *quatuor judiciorum*, sed etiam singulorum judicum unanimium superiorem discessisse.

4. *Anneii*. Forsan Annius fuit, de quo Cic. ad Att. V, 4. — *Præteritus*. Pater eum testamento præterierat, quia in aliam familiam transierat. — *Rescidit*. Quomodo M. Anneii filius testamentum patris rescindere potuerit, optime explicat Schultingius. — *Signatore*. Testamenta septem testibus præsentibus condebantur, et eorum quisque annulo suum signum testamento imprimebat.

pilius, quos M. Anneius sanguine sibi conjunctos eadem ex parte, qua Tullianum, heredes fecerat, sacramento[1] cum adolescentulo contendere ausi non sunt; tametsi præcipuis eo tempore Magni viribus ad defendendas tabulas testamenti invitari poterant; et aliquantulum adjuvabat heredes, quod M. Anneius in Sufenatis[2] familiam ac sacra transierat; sed arctissimum inter homines procreationis vinculum, patris simul voluntatem, et principis viri auctoritatem superavit.

3. C. autem Tettium infantem a patre exheredatum, Petronia matre, quam Tettius, quoad vixit, in matrimonio habuerat, natum, divus Augustus *in bona paterna ire decreto suo* jussit, patris patriæ animo usus; quoniam Tettius in proprio jure procreato filio[3], summa cum iniquitate paternum nomen abrogaverat.

4. Septicia quoque, mater Trachalorum Ariminensium, filiis irata, in contumeliam eorum, quum jam parere non posset, Publicio seni admodum nupsit, testamento etiam utroque præterito; a quibus aditus divus Augustus, et nuptias mulieris, et suprema judicia[4] improbavit; nam hereditatem maternam filios habere jussit; dotem, quia non creandorum[5] liberorum causa conjugium intercesse-

1. *Sacramento*. Non tantum sponsione, sed et *sacramento* litigatores romani contendere solebant. Vid. Brisson. de Form. V: Varro de L. L. IV, hæc refert: « ea pecunia, quæ in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat et qui infitiabatur, de aliis rebus uterque D. æris deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat; victi ad ærarium redibat. »

2. *Sufenatis*. An. U. 695 circ. Per adoptionem videbatur a patre alienatus, et illius sacris initiatus, in cujus familiam transierat.

3. *In proprio jure procreato filio*. Id est, filio legitime procreato, neque opus est, ut cum Perizonio legas: *in proprio, jure, procreato filio*, nam *filio procreato* est dativus. — *Abrogaverat*. Ejuraverat, renuntiaverat, id est, Tettius pater suo filio non permisit ut nominaretur ab illo *pater*.

4. *Judicia*. Sic et Sueton. Aug. 66, testamenta vocat, quæ nos *supremam voluntatem* vocamus.

5. *Creandorum*. Non ad mutuum

rat, virum retinere vetuit. Si ipsa æquitas hac de re cognosceret, possetne justius aut gravius pronuntiare? Spernis quos genuisti; nubis effœta; testamenti ordinem violento animo confundis; neque erubescis ei totum patrimonium addicere, cujus pollincto[1] jam corpori marcidam senectutem tuam substravisti; ergo dum sic te geris, ad inferos usque cælesti fulmine[2] afflata es.

5. Egregia quoque C. Calpurnii Pisonis prætoris[3] urbis constitutio; quum enim ad eum Terentius ex[4] octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat, *ab uno in adoptionem dato exheredatum se* querelam detulisset, bonorum adolescentis possessionem ei dedit, heredesque lege agere passus non est. Movit profecto Pisonem patria majestas, donum vitæ, beneficium educationis: sed aliquid etiam flexit circumstantium liberorum numerus, quod cum patre[5] septem fratres impie exheredatos videbat.

6. Quid, Mamerci Æmilii Lepidi consulis quam grave decretum[6]? Genucius quidam, Matris magnæ[7] gallus, a

adjutorium et exstinguendam libidinem in conjugio respexisse Romani videntur. Pro *creandorum* Vorst. præfert *quærendorum*. Præter necessitatem. *Creare liberos*, de matre æque dici quam de patre docuit cl. Burman. ad Phæd. I, 6.

1. *Pollincto*. Corpus morti vicinum et sepulturæ paratum. De *pollinctoribus* vid. supra, et Servium ad IX Æneid. Plures MSS. habent *polluto*. Sed Pigh. restituit *pollincto* ex Atreb. Gembl. Cauch. Col. eleganter. Est enim, *pollincire*, Plauto, aliisque veteribus, cadavera ungere. *Pollinctum* igitur *corpus* senis appellat morti et rogo vicinum.

2. *Fulmine*. Severo Divi Augusti judicio.

3. *Prætoris*. Ita recte Pigh. ex MSS. restituit, probante, inter alios, Schultingio. Alii *præfecti*. — *Constitutio*. Decretum. An. U. 682.

4. *Ex*. Lipsius mavult *cum*; sed male, ut ex fine hujus exempli apparet. *Ex octo* est: *ab uno ex octo filiis*. — *Dato*. Scil. in alienam familiam; quæ forte illi erat ratio, quod patrem exheredaret. Nam notum est, si filii sine liberis decedant, bona eorum ad parentes pervenire, et si parentes non habeant, ad fratres, aut alios heredes proximos, idque etiam ab intestato.

5. *Quod cum patre*. Copes. cum quatuor aliis *qui cum patre*; Ultraj. prim. *quia cum*; sec. *quos*.

6. *Decretum*. An. U. 676.

7. *Matris magnæ*. Mater omnium deorum, olim hominum, terra ni-

Cn. Oreste prætore urbis impetraverat, ut restitui se in bona Næviani juberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Appellatus Mamercus a Surdino, cujus libertus Genucium heredem fecerat, prætoriam jurisdictionem abrogavit, quod diceret, « Genucium amputatis sui [1] ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere. » Conveniens Mamerco, conveniens principi senatus decretum; quo provisum est, ne obscœna Genucii præsentia, inquinataque voce, tribunalia magistratuum sub specie petiti juris polluerentur.

7. Multo Q. Metellus prætorem urbanum severiorem egit [2], quam Orestes gesserat: qui Vetilio lenoni bonorum Juventii [3] possessionem secundum tabulas testamenti non dedit; quia vir nobilissimus et gravissimus, fori ac lupanaris separandam conditionem existimavit: nec aut factum illius comprobare voluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum projecerat; aut huic tamquam integro [4] civi jura reddere, qui se ob omni honesto vitæ genere abruperat.

mirum, Cybele vocata, cujus sacerdotes galli, se ipsos evirabant. Ovid. Fast. IV. Sed quodammodo turpes habiti sunt. — *Næviani.* Perizon. cui Schultingius adstipulatur, putat legendum esse *Næviana;* quod libertus fuerat *Nævii Surdini*, ideoque dicitur *Nævius*, non *Nævianus.*

1. *Sui ipsius.* Vorst. malit ex uno Brandeb. *sua ipsius.*

2. *Egit.* An. U. 680.

3. *Juventii.* Alii *Vibieni*, *Juveni*, *Juvenis*, *Juvenii.*

4. *Integro.* Tamquam esset civis incorruptus, cui hereditas haud dubie reddenda fuisset.

CAPUT VIII.

De ratis testamentis et insperatis.

1. Sempronii Tuditani. — 2. Æbuciæ. — 3. Q. Metelli. — 4. Fratris Pompeii Rhegini. — 5. Q. Cæcilii. — 6. T. Marii. — 7. L. Valerii Heptachordi. — 8. T. Barruli. — 9. M. Popilii.

His rescissorum testamentorum exemplis contenti attingamus ea, quæ rata manserunt, quum causas haberent, propter quas rescindi possent.

1. Quam certæ, quam etiam notæ insaniæ Tuditanus [1]? utpote qui populo nummos sparserit, togamque velut tragicam vestem in foro trahens, maximo cum hominum risu conspectus fuerit, ac multa his consentanea fecerit. Testamento [2] filium instituit heredem : quod Ti. Longus, san-

1. *Tuditanus.* Vid. Cic. Philipp. III, 6; Academ. IV, 28; Lactant. III, 23, 7. Inter alia dementiæ Tuditani signa et illud fuit, quod quemadmodum in tragœdiis fiebat, syrma togæ in foro traxit. Furioso et *insano* alioquin testari non licebat.

2. *Testamento filium.* Hanc lectionem, quæ in edd. vett. et omnibus MSS. exstat, Kappius revocavit, et conjecturam Lipsii, quam Coler. Vorst. et Torren. acceperant, neglexit. Ingeniosa quidem Lipsii conjectura, nec nomen *Ofilii* ignotum. Sed qui Perizonium ad hunc locum et in diss. de lege Voconia legerit, is certe de veritate lectionis *filium* vix dubitabit, et *Ofidium* de quo non cogitavit Tuditanus, sine hæsitatione ejiciet. Tuditanus, cætera insanus, in condendo testamento nihil pro solita stultitia egit. Nec Valerius noster improbare videtur Tuditani testamentum, ut ex primis verbis sequentis exempli apparet; ibi enim opponit inter se dementem Tuditani vitam, et Æbuciæ *tabulas testamenti plenas furoris*. Hæc tamen alteram filiam heredem scripserat. Ita quid putamus Valerium de Tuditano dicturum fuisse, si *non filium*, sed *Ofilium*, hominem alienum, heredem scripsisset et suos exheredasset? Sed, inquis, si Tuditanus filium heredem scripsit, cur, quæso, Tib. Longus testamentum evertere voluit, quum tamen scire deberet, hereditatem ad se pervenire non posse? Kapp. respondet cum Perizonio : aut iratus fuit homini, aut ipse legatum exspectaverat, aut aliud antiquius testamentum pro se habebat; neque testamen-

guine proximus, hastæ judicio subvertere frustra conatus est; magis enim centumviri, quid scriptum esset in tabulis, quam quis eas scripsisset, considerandum existimaverunt.

2. Vita Tuditani demens: Æbuciæ autem, quæ L. Menenii Agrippæ uxor fuerat, tabulæ testamenti plenæ furoris; nam quum haberet duas simillimæ probitatis filias, Plætoriam et Afraniam, animi sui potius inclinatione provecta, quam ullis alterius injuriis aut officiis commota, Plætoriam tantummodo heredem instituit: filiis autem Afraniæ ex suo admodum amplo patrimonio viginti[1] nummum legavit. Afrania tamen cum sorore sacramento[2] contendere noluit; testamentumque matris patientia honorare, quam judicio convellere, satius[3] esse duxit: eo se ipsa indigniorem injuria ostendens, quo eam æquiore animo sustinebat.

3. Minus mirandum errorem muliebrem Qu. Metellus[4] fecit: is namque plurimis et celeberrimis ejusdem nominis viris in urbe nostra vigentibus, Claudiorum[5] etiam familia, quam arctissimo sanguinis vinculo contingebat, florente, Carrinatem solum heredem reliquit; nec hocce ejus testamentum quisquam attentavit[6].

tum rescindere voluit Tib. Longus, quia sanguine proximus fuit, sed quia Tuditanus furiosus fuisset, ideoque testamentum facere non potuisset. —*Judicio*. Centumvirorum. Vid. supra et Suet. Aug. XXXVI. Quomodo autem Longus sanguine propior *filio* esse poterat? Perizonius veretur, ne hæc verba a scribis addita sint.

1. *Viginti*. Scil. millia, quod ex MSS. quibusdam addit Pighius, circiter M. floreni Rhenani.

2. *Sacramento*. Potuit enim Afrania apud centumviros jurare, se injuste exheredatam a matre. Vide Varronem de Lingua Latina IV.

3. *Satius*. Alii: *sanctius*.

4. *Qu. Metellus*. Pighius et Periz. *Q. Claudium Nepotem* intelligunt. Sed Pigh. in eo errat, dum ei uxorem tribuit P. Clodii sororem, quæ fuit soror *Q. Metelli Celeris*. Cic. pro Cælio, XXIV.

5. *Claudiorum*. Nam genus maternum duxit a gente Claudia. Metellus enim superior Claudiam duxit uxorem, ex qua natus est Q. Metellus. — *Carrinatem*. Forsan fuit ille prætor Iberiæ sub Cæsare.

6. *Attentavit*. Ed. vet. *acceptavit*. Fortasse scriptum erat *atteptavit*,

4. Item Pompeius Rheginus[1], vir transalpinæ regionis, quum testamento fratris præteritus esset, et ad coarguendam iniquitatem ejus, binas tabulas testamentorum suorum in comitio incisas, habita utriusque ordinis maxima frequentia, recitasset, in quibus magna ex parte heres frater erat scriptus, prælegebaturque ei centies et quinquagies sestertium: multum ac diu inter assentientes indignationi suæ amicos questus, quod ad hastæ judicium attinuit, cineres[2] fratris quietos esse passus est: et erant ab eo instituti heredes, neque sanguine patrio[3] pares, neque proximi; sed et alieni, et humiles; ut non solum flagitiosum silentium, sed etiam prælatio contumeliosa videri posset.

5. Æque felicis impunitatis, sed nescio an tetrioris hæc delicti testamenta: Q. Cæcilius[4] L. Luculli promptissimo studio, maximaque liberalitate, et honestum dignitatis gradum, et amplissimum patrimonium consequutus, quum præ se semper tulisset, unum illum sibi esse heredem, moriens etiam annulos ei suos tradidisset; Pomponium Atticum testamento adoptavit, omniumque[5] bonorum reliquit heredem; sed fallacis et insidiosi[6] cadaver populus

unde scriba *tt* in *cc* mutavit, et lineam transversam super *e* non animadvertens scripsit *acceptavit*. Tres MSS. inserunt *improbare*, *irritare*, *rescindere*, ex glossa.

1. *Rheginus*. Vid. Varron. de R. R. III, 12. — *Utriusque*. Et equestris et plebeii.

2. *Cineres*. Noluit oppugnare defuncti supremam voluntatem.

3. *Patrio*. Atrebat. *Pagino*, mendose, ex qua voce quidam *Rhegino* fecisse videntur. Verum ut hic a patre, *patrius sanguis* dicitur, ita et a Cicerone *patrius mos*, et a Lucretio poeta, *patrius pavor*.

4. *Q. Cæcilius*. Hoc loco edd. vett. cum multis MSS. novum caput constituunt, hoc titulo: *de his, qui adversus opinionem hominum heredes habuerunt*.

5. *Omniumque*. *Nepos* in vita scribit *ex dodrante*, l. tribus quartis partibus. Vid. Cic. ad Att. III, 20. An. U. 695. Hereditas plerumque dividitur in XII uncias. *Dodrans* autem significat novem uncias, quasi dempto quadrante. Honestius forsan fuisset, si reddidisset hereditatem Atticus justo heredi.

6. *Insidiosi*. Boni enim viri est, etiam in morte nullum fallere.

romanus cervicibus reste circumdatum, per viam [1] traxit; itaque nefarius homo filium quidem et heredem habuit quem voluit, funus autem et exsequias quales meruit.

6. Neque aliis dignus fuit T. Marius [2] Urbinas; qui ab infimo militiæ loco, beneficiis divi Augusti imperatoris ad summos castrenses honores perductus, eorumque uberrimis quæstibus locuples factus, non solum cæteris vitæ temporibus, *ei se fortunas suas relinquere, a quo acceperat*, prædicavit, sed etiam pridie quam exspiraret, idem istud ipsi Augusto dixit, quum interim ne nomen quidem ejus tabulis testamenti adjecerit.

7. L. autem Valerius, cui cognomen [3] Heptachordo fuit, togatum hostem Cornelium Balbum expertus, utpote opera ejus et consilio compluribus privatis vexatus litibus, ad ultimumque subjecto accusatore capitali crimine accusatus, præteritis advocatis et patronis suis, solum heredem reliquit; nimia consternatione, quæ animum ejus transversum egit, depravatus [4]. Amavit enim sordes [5]

1. *Traxit*. Ad Gemonias scalas.

2. *Marius*. Colerus et Perizonius legunt T. Tarius, de quo Senec. de Clem. XV; et Plin. XVIII, 6. — *Urbinas*. Ante Pighium legebatur *Urinas*. Male, nam *Uria* est urbs Calabriæ, cujus ager dicitur *Uritanus*. *Urbinas* autem notum est gentile τοῦ *Urbini*, sive *Hortensis*, sive *Metaurensis in Umbria*.

3. *Heptachordo*. Torrenius suspicatur hoc cognomen illi adhæsisse quod musicæ rei amantissimus testudinem septem nervis instructam amaverit, aut ipse, aut majorum aliquis, a quo derivatum sit ad posteros. Idem vir doctus disputat an hic Valerius idem sit, de quo Cic. in Orat. III, 23, agit: idque negat, quum *Cornelium Balbum* putet illum *Gaditanum*, Cæsaris amicum, pro quo exstat oratio Ciceronis. — *Togatum*. Forensem.

4. *Nimia consternatione..... depravatus*. Ita Pigh. ex quinque codd. scripsit; quum Aldus edidisset *nimirum consternatio animum ejus transversum egit*. Vetus ed. Mart. Herbip. sicut Pigh. edidit, habet. Nec multum discrepant codd. Brand. Unus enim, *nimirum consternatio, quæ a. e. t. egit*. Alter plenius, *nimirum consternatione depravatus, quæ... egit. Nimirum* ubique occurrit, unde Vorstio rectum esse videtur, nec Torrenio displicet.

5. *Sordes*. Infamiam, ignominiam, crimina sua cum misera reorum conditione, squalida veste incedentium.

suas, et dilexit pericula, et damnationem[1] votis expetivit; auctorem harum rerum benevolentia, propulsatores odio insequutus.

8. T. Barrulus Lentulo Spintheri, cujus amantissimum animum, liberalissimamque amicitiam senserat, decedens suos annulos[2] perinde atque unico heredi tradidit, quem nulla ex parte heredem relinquebat. Quantum illo momento temporis conscientia (si modo vires, quas habere creditur, possidet) a teterrimo homine supplicium exegit! Inter ipsam enim fallacis et ingratæ culpæ cogitationem, spiritum posuit, quasi tortore aliquo mentem ejus intus cruciante; quod animadvertebat, e vita ad mortem transitum suum et superis diis invisum esse, et inferis detestabilem futurum.

9. M. vero Popilius senatorii ordinis Oppium Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi, moriens, pro vetusto jure amicitiæ, et vultu benigno respexit, et verbis magnum præ se amorem ferentibus prosequutus est. Unum etiam de multis, qui assidebant, ultimo complexu et osculo dignum judicavit; insuperque[3] annulos quoque suos ei tradidit, videlicet ne quid ex ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocius vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum[4] repositos, et a præsentibus assignatos diligentissime, heredibus illius exheres ipse reddidit. Quid hoc loco[5] inhone-

1. *Damnationem.* Hæc ad increpationem dicit Valer. non quod ita esse significare velit. Ita enim si fuisset, frustra advocatos et patronos sibi quæsivisset; sed quod verisimile sit, ex effectu ejus eum expetivisse condemnationem.

2. *Annulos.* De traditione *annuli*, heredis ac successoris instituendi tessera, vid. interp. ad Curt. X, 5, 4.

3. *Insuperque.* Hoc a Pighio est. Plurimi MSS. habent *superque*, unde Perizonius malebat *super quæ*, quia solet id in MSS. sine diphthongo scribi; cui conjecturæ Torren. et Kapp. assentiuntur.

4. *Locellum.* Vid. Plin. XIV, 13.

5. *Loco. Loco* per, hoc tempore, ea occasione explicat Kappius. Lipsius et Vorstius legere malunt *joco*, ut quadret in *scurrilem lusum* infra. Forsan *locus* respicit ad *locellum*.

stius? aut quid intempestivius? Senator[1] populi romani curia egressus; homo vitæ fructibus continuo cariturus, sanctissima jura familiaritatis, morte pressis oculis, et spiritu supremos anhelitus reddente, scurrili lusu sugillanda sibi desumpsit.

1. *Senator... egressus homo.* Pighio magis placet, *senatorem pop. rom. curia egressum homo.* Tunc hæc esset mens Valerii: nihil inhonestius, quam senatorem e curia venientem et sanctissima familiaritatis jura sugillanda sibi desumere; et nihil magis intempestivum, quam hominem mox moriturum fallere et illudere, ut tum fecit ille Popilius. Sed *senator egressus* tuentur MSS. et tanto magis illud Torrenio placet, quanto inhonestius est, *senatorem populi romani* hoc fecisse, quam factum fuisse *senatori.* — *Spiritu supremos anhelitus reddente.* Perizon. ex Copes. *spiritum supremo anhelitu reddens*, quod, inquit, *moriens reddit spiritum*, non *spiritus reddit anhelitum*; sed altera hæc lectio elegantior est.

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER OCTAVUS.

CAPUT I.

De judiciis publicis insignibus, quibus absoluti

1. M. Horatius Tergeminus. — 2. Ser. Sulpicius Galba. — 3. A. Gabinius. — 4. P. Claudius Pulcher. — 5. Tuccia virgo Vestalis. — 6. L. Calpurnius Piso. — 7. Q. Flavius augur. — 8. C. Cosconius Callidianus. — 9. A. Atilius Calatinus. — 10. M. AEmilius Scaurus junior. — 11. L. Aurelius Cotta. — 12. Callidius Bononiensis. — 13. Cloelii duo T. F. tarracinenses.

De judiciis publicis insignibus, quibus damnati

1. L. Scipio Asiaticus. — 2. C. Decianus. — 3. Sex. Titius. — 4. Claudia Ap. Cæci F. — 5. M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius, triumviri. — 6. P. Villius, triumvir. — 7. M. AEmilius Porcina. — 8. Paterfamilias quidam.

De judiciis publicis insignibus, quibus ambustæ duæ

1. Mulier matricida. — 2. Materfamilias quædam.

DE JUDICIIS PUBLICIS INSIGNIBUS, QUIBUS ABSOLUTI.

NUNC quoque, ut æquiore animo ancipites [1] judiciorum motus tolerentur, recordemur, invidia laborantes, quibus de causis aut absoluti sunt, aut damnati.

1. *Judiciorum.* De quibus vide Sigonium de judiciis. Polleti hist. fori roman. 1572; Grævii thesaur. tom. II, p. 683 sq.; Iselin. roman. judiciorum hist. 1722; Hoffmanni hist. juris., t. II, p. II. — *Tolerentur.* Quinque MSS. *tollerentur.* Sed longe præstat alterum.

1. M. Horatius[1], interfectæ sororis crimine a Tullo rege damnatus, ad populum provocato judicio absolutus est: quorum alterum atrocitas necis movit, alterum causa flexit; quia immaturum virginis amorem severe magis, quam impie punitum existimabat. Itaque forti punitione[2] liberata fratris dextera, tantum consanguineo, quantum hostili cruore gloriæ haurire potuit.

2. Acrem se tunc pudicitiæ custodem populus romanus, postea plus justo placidum judicem præstitit[3]: quum a Libone tribuno plebis Ser. Galba[4] pro rostris vehementer increparetur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide prætor in Hispania interemisset, actionique tribunitiæ M. Cato ultimæ senectutis, oratione sua, quam in Origines retulit, subscriberet: reus pro se jam nihil recusans, parvulos liberos suos, et Galli[5] sanguine sibi conjunctum filium, flens commendare cœpit; eoque facto

1. *Horatius.* De illo vid. sup. cap. de severit.; Dionys. III, 22, Flor. I, 3. Lex, qua damnatus est, erat: « Duumviri perduellionem judicent: si a duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito, infelici arbore reste suspendito, verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. » — *Provocato judicio.* Insolens phrasis *provocare judicium*, quare Perizonius *judicio* delere malit, ut sit *provocato* eleganter dictum pro *postquam provocasset*, ut apud Livium, XXIII, 14. Sed *provocato judicio* servant omnes codd. Torreniani.

2. *Punitione.* Qui fortiter puniverat intempestivum sororis amorem: nam *punitio* active sumitur, non passive. — *Liberata.* Lipsius *librata*: quam conjecturam Colerus temere in textum recepit, quum *liberata* non solum in omnibus libris sit, sed etiam optimum habeat sensum. *Liberata* est pro *absoluta*, ut in fine hujus capitis *liberare* et *punire* opponuntur.

3. *Præstitit.* An. U. 604. Liv. XLIX; Cic. de Or. I, 53; in Brut. 23; pro Murena, 28; ad Att. XII, 5; Quintil. II, 15.

4. *Galba.* Hic est, si Glareano creditur, qui consul fuit anno 588 cum M. Claudio Marcello, quo anno Terentii Andria edita est; belloque macedonico adversus Persea eclipsin solis prædixit. Non vero, ut Oliverius vult, missus est adversus Lusitanos qui Sertorii partes sequuti erant, nam plus sexaginta annis ante Sertorianum in Lusitania bellum consul fuit.

5. *Galli.* Cic. I de Or. narrat: C. Sulpitii Galli, propinqui sui filium pupillum, in humeros illum extulisse.

mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, pænè nullum triste suffragium habuit. Misericordia ergo illam quæstionem, non æquitas rexit : quoniam quæ innocentiæ tribui nequierat absolutio[1], respectui puerorum data est.

3. Consentaneum quod sequitur[2]; A. Gabinius[3] in maximo infamiæ suæ ardore suffragiis populi, C. Memmio accusatore, subjectus, abruptæ esse spei videbatur, quoniam et accusatio partes suas plene exhibebat, et defensionis præsidia invalida fide nitebantur; et qui judicabant, ira præcipiti[4] pœnam hominis cupide expetebant; igitur lictor[5] et carcer ante oculos obversabantur, quum interim omnia ista propitiæ fortunæ interventu dispulsa sunt; filius namque Gabinii Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmii supplex prostravit; inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempestatis eruperat: quem truci vultu a se victor insolens repulsum, excusso[6] e manu annulo humi jacere aliquamdiu passus est. Quod spectaculum fecit, ut Lælius tribunus plebis approbantibus cunctis Gabinium dimitti juberet, ac do-

1. *Absolutio.* Inique tamen data videtur. Nam misericorditer agendo cum pueris, impie actum est cum Lusitanis tam impie trucidatis, præsertim quum liberi ejus alia via juvari poterant.

2. *Sequitur.* An. U. 699. Cicer. ad Att. IV, 16, 17; ad Qu. frat. III, 1.

3. *Gabinius.* Gabinius Syriæ procos. fuerat. Accusatus autem est primo majestatis, quod ad reducendum in Ægyptum Ptolemæum provinciæ suæ finibus excessisset : deinde repetundarum. Et priore quidem judicio, quod a nostro designari videtur, corruptis judicibus absolutus est: posteriore vero damnatus in exsilium abiit; unde a Cæsare dictatore revocatus est.

4. *Ira præcipiti.* Multi MSS. *ira perciti.* Sed Torrenius *præcipiti* præfert. *Præceps ira* est, quæ eos, causa nondum plane cognita, impellebat *ad expetendam cupide hominis pœnam.*

5. *Lictor.* Quinque MSS. *viator*, quod Torrenius tanto magis a Valerio profectum credit, quia accusator ejus Memmius erat tribunus plebis. Jam vero tribunis plebis apparebant *viatores.*

6. *Excusso.* Inique tulit, illum reum annulum non deposuisse, quod lugentes, ærumnosi, supplices facere solebant. Sic populus romanus audita pace caudina annulos posuit.

cumentum daretur, neque secundarum rerum proventu insolenter abuti, neque adversis propere quemquam debilitari oportere.

4. Idque proximo exemplo æque patet: P. Claudius[1] nescio religionis major, an patriæ injuria (siquidem illius vetustissimum morem neglexit, hujus pulcherrimam classem amisit), infesto populo objectus, quum effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio tutus fuit a damnatione; discussa enim quæstione, aliam, velut diis interpellantibus[2], de integro instaurari non placuit: ita cui maritima[3] tempestas causæ dictionem contraxerat, cælestis salutem attulit.

5. Eodem auxilii genere Tucciæ[4], virginis Vestalis, incesti criminis reæ, castitas infamiæ nube obscurata emersit: quæ conscientia certæ sinceritatis suæ, spem salutis ancipiti argumento ausa petere est; arrepto enim cribro, «Vesta, inquit, si sacris tuis[5] castas semper admovi manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, et in ædem tuam perferam.» Audaciter et temere jactis votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit.

6. Item L. Piso[6] a P. Claudio Pulchro accusatus, quod

1. *Claudius*. An. U. 504. Cicer. de Div. I; de N. D. II, 3; Polyb. I, 52. De Claudio, pullos in mare projiciente vid. etiam supr. I, 4, 3. — *Morem*. Quia majores nihil, nisi captis auspiciis, gerebant.

2. *Interpellantibus*. Cogitare poterant, deos ipsos abominari injustam ob superstitiosos ritus damnationem. Sed arripiebant Romani tantum, quæ præjudicatas suas opiniones alere poterant, cæteris, quæ contra erant, neglectis.

3. *Maritima*. Id est, clades in pugna maritima contra Adherbalem accepta.

4. *Tucciæ*. Multi *Tuciæ*, ut Dionysius Halic. Τυκίας ὄνομα. Plinius autem *Tuccia*. — *Emersit*. An. U. 609. Plin. XXVIII, 2; Augustin. de C. D. X, 16; Dionys. II, 69.

5. *Sacris tuis*. Hæc Tucciæ deprecationis incesti verba solennia exstitisse etiam sua ætate, Plinius memorat. Qua fraude aquam cribro hauserit, quod et narrat Ovidius, vix potest explicari. — *Hoc*. Nempe cribro, quod porrigebat arreptum manu. Ergo male quidam *hanc*.

6. *Piso*. An. U. 694. Piso cos. Macedoniam occupaverat, in qua ita se gessit, ut exercitum amitte-

graves et intolerabiles injurias sociis intulisset, haud dubiæ ruinæ metum fortuito auxilio vitavit; namque per id ipsum tempus, quo tristes de eo sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit, quumque prostratus humi pedes judicum oscularetur, os suum cœno replevit; quod conspectum totam quæstionem[1] a severitate ad clementiam et mansuetudinem transtulit: quia satis jam graves eum pœnas sociis dedisse arbitrati sunt, huc deductum necessitatis, ut abjicere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter[2], cogeretur.

7. Subnectam duos accusatorum suorum culpa absolutos[3]: Q. Flavius augur[4] a C. Valerio ædili ad populum reus actus, quum quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset, proclamavit, *se innocentem opprimi;* cui Valerius æque clara voce respondit, *nihil sua interesse, nocensne an innoxius periret, dummodo*[5] *periret:* qua violentia dicti reliquas tribus adversario donavit. Abjecerat inimicum; eumdem, dum pro certo pessumdatum credidit, erexit, victoriamque in ipsa victoria perdidit.

ret et barbari omnia redderent infesta. Eos ingentem sibi pecuniam pendere coegit: vectigal ac portorium Dyrrhachinorum in quæstum suum convertit, Byzantinorum urbem tam hostili modo vexavit, ut, nobilissimas virgines, ne turpitudinem paterentur, in puteos se abjecisse, fama esset. — *P. Claudio.* Multi MSS. *a Lucio Claudio*, quod emendavit Pighius, quem vid. in Annal. ad annum U. C. 694.

1. *Quæstionem. Quæstio* hoc loco dicitur pro illis, qui quæstioni ac judicio præerant, ut infra, VIII, 1, 16, *cognitio.*

2. *Deformiter.* Qua in re humilis et abjecti animi significationem criminibus suis addit.

3. *Absolutos.* An. U. 425. Livius, VII. Flavius, Cinnæ satelles, qui sub Valer. consule legatus in Asiam profectus corrupto exercitu ducem interficiendum curavit. Ipse, correptis fascibus, provinciam ingressus, Mithridat. Pergamo expulit. Ilium, ob portas tardius apertas, incendi jussit.

4. *Flavius augur.* Ex duobus MSS. Pulm. et Sus. Pighius *augur* addidit. Alii cum editione vet. omittunt. — *Ædili.* Sic duo MSS. Brandeb. Aldus *ædile*, quod Pigh. et alii retinuerunt.

5. *Dummodo.* Acerbissima hæc verba infensum populi aversantis animum fere necessario in Flavii partes traxerunt.

8. C. etiam Cosconium Servilia lege reum[1], propter plurima et evidentissima facinora, sine ulla dubitatione nocentem, Valerii Valentini accusatoris ejus recitatum in judicio carmen, quo puerum prætextatum, et ingenuam virginem a se corruptam poetico joco significaverat, erexit: siquidem judices iniquum rati sunt, eum victorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur[2]. Magis ergo Valerius in Cosconii absolutione damnatus, quam Cosconius in causa sua liberatus est.

9. Attingam eos quoque, quorum salus propriis obruta criminibus, proximorum claritati donata est: A. Atilium Calatinum, Soranorum[3] oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis damnationis periculo Q. Maximi soceri pauca verba subtraxerunt, quibus affirmavit, *si in eo crimine sontem illum ipse comperisset, diremplurum*[4] *se fuisse affinitatem*; continuo enim populus pæne jam exploratam sententiam suam unius judicio concessit; indignum ratus ejus testimonio non credere, cui difficillimis

1. *Reum.* An. U. 651. Torrenius intelligit legem de repetundis a Servilio Glaucia prætore an. U. 653, (quod tamen cum tempore non convenit); vid. Cicer. pro Rabir. 4; Verr. I, 9. — *Valerii Valentini.* Ignotum alioquin scriptorem Festus nobis nominat : « *Tappulam*, inquiens, *legem convivalem, ficto nomine conscripsit jocoso carmine* Valerius Valentinus. » — *Prætextatum.* Tarquinius Priscus filium suum annos XIV natum, quod in bello hostem percusserat, pro concione laudavit et prætexta donavit. Hinc factum, ut prætexta deinde *nobiles* pueri uterentur. — *Erexit.* Sic primus edidit Pighius quum cæteri edidissent *contexit.* Sed ed. Mog. *correxit.* Torrenius malit quod exstat in decem MSS. *protexit. Erexit*, quum in fine præcedentis exempli optime præcesserit, oppositum verbo *abjecerat*, hic minus commode et eleganter repeti videtur.

2. *Merebatur.* Id est, qui non superior, sed inferior discedere merebatur.

3. *Soranorum.* Sora, Campanorum oppidum, cujus Plin. III, 5, meminit. Ei quum II Pun. belli tempore Atilius Calat. præfuisset, ejusque cives ad Hannibalem defecissent, Calatini id culpa factum, suspicio fuit. — *Maximi.* Fabii Cunctatoris, illius de quo Ennius et Virgilius: « Unus qui nobis cunctando restituit rem. »

4. *Diremplurum.* Multi *direptum.* Bit. prim. *diruptum.*

reipublicæ temporibus bene se exercitus credidisse meminerat.

10. M. quoque Æmilius Scaurus repetundarum reus [1], adeo perditam et comploratam defensionem in judicium attulit, ut, quum accusator diceret, « lege sibi centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium licere, seque non recusare quo minus absolveretur, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset, » tam bona conditione [2] uti non potuerit. Tamen propter vetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris, absolutus est.

11. Sed quemadmodum splendor amplissimorum virorum in protegendis reis plurimum valuit, ita in opprimendis non sane multum potuit : quin etiam evidenter noxiis, dum eas acrius impugnat, profuit. P. Scipio Æmilianus L. Cottam [3] ad prætorem accusavit; cujus causa, quamquam gravissimis criminibus erat confossa [4], septies

1. *Reus.* An. U. 699. Cicer. ad Att. IV, 16. Hic Scaurus illius filius, quem principem senatus jam supra cognovimus, antea magna abstinentia fuerat conspicuus : sed summa munificentia quum in ædilitate, quæ plurimos perdidit, magnum æs alienum contraxisset; in prætura provinciam Sardiniam nactus, ibi avarum et arrogantem se gessit. Querentibus igitur de eo Sardis, pæne condemnatus est, licet eum VI patroni defenderent.

2. *Tam bona.... potuerit.* Pigh. ex solis Winch. et Col. edidit : *licet tam bona.. potuerit;* tamen minus bene; nam talem interpunctionem non patiuntur antecedentia. Sensus hujus periodi est : accusator Scauri dixerat, se habere centum et viginti homines, qui contra Scaurum testimonium juxta leges dicere parati essent; se tamen non impedire, quominus Scaurus absolveretur, si modo is totidem homines, nempe 120, nominatim posset proferre ex tota provincia, quibus nihil abstulisset. Bona erat conditio, Scaurus tamen id præstare non potuit.

3. *Cottam.* An. U. 622. Cic. pro Muræn. XXVIII; Tacit. Ann. III, 66. Cotta faverat seditioni Gracchanæ. In prætura judicia ad equites romanos transtulit. — *Prætorem.* Juxta multos codices *ad populum.* Sed *ad* vel *apud populum* non nisi magistratus accusare poterat : Scipioque Cottam privatus accusavit repetundarum, quum bis cos. et censor jam fuisset. Post alterum autem consulatum Scipio nullum amplius magistratum gessit. Igitur *ad prætorem* eum accusavit.

4. *Confossa.* Afflicta, convicta :

ampliata, et ad ultimum octavo judicio absoluta est : quia homines sapientissimi verebantur, ne præcipuæ accusatoris amplitudini damnatio ejus donata existimaretur. Quos hæc secum loquutos crediderim : « Nolumus caput alterius petentem, in judicium triumphos et tropæa, spoliaque, ac devictarum navium rostra deferre; terribilis sit is adversus hostem : civis vero salutem, tanto fulgore gloriæ subnixus, ne insequatur. »

12. Tam vehementes[1] judices adversus excellentissimum accusatorem, quam mites in longe inferioris fortunæ reo! Calidius Bononiensis in cubiculo mariti noctu deprehensus, quum ob id causam adulterii diceret, inter maximos et gravissimos infamiæ fluctus emersit, tamquam fragmentum naufragii, leve admodum genus defensionis amplexus; affirmavit enim *se ob amorem pueri servi*[2] *eo esse perductum.* Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matris familiæ persona, suspecta etiam adolescentia ipsius : sed crimen libidinis[3] confessio intemperantiæ liberavit.

13. Remissioris hoc, illud aliquanto gravioris materiæ

translatio a gladiatoribus. — *Ampliata.* Inter comperendinationem et ampliatam causam hoc interest: *Comperendinatio* est, quum altera tantum partium petit, ut in alterum diem judicium differatur, eo quod dicat, judices causam non probe perspicere. *Ampliata* vero *causa* a judicibus protrahitur : intellecta enim, si justa est, reus confestim absolvitur, si mala, statim damnatur; si non liqueat, in aliud tempus differtur. In hoc extremo utebantur litteris N. L. (*non liquet*), quas tabulis inscribebant.

1. *Tam vehementes judices.... quam mites.* Sic omnes MSS. et edd. Pighio priores. Recte ergo Torrenius restituit, quum Pighius, Colerus et Vorst. dedissent *tam vehementes* hi *judices.... quam illi mites.* Valerius haud dicit, iidemne judices fuerint, an alii, sed tantum nobis ante oculos ponit, judices fuisse vehementes adversus Scipionem *accusatorem*, mites vero in Calidio *reo*. *In reo* est, contra reum.

2. *Servi.* Hoc levavit crimen, quod ingenuus puer non esset.

3. *Libidinis.* Huic voci in quibusd. edd. additum : *adulterii.* Sed hæc est glossa *libidinis.* Libido sumitur pro adulterio; intemperantia pro παιδῶν ἔρωτι ponitur.

exemplum[1]. Quum parricidii causam duo fratres[2] Clœlii dicerent, splendido Tarracinæ loco nati, quorum pater T. Clœlius in cubiculo quiescens, filiis altero lecto cubantibus, erat interemptus; neque aut servus quisquam aut liber inveniretur ad quem suspicio cædis pertineret: hoc uno nomine absoluti sunt, quia judicibus planum factum est, illos aperto ostio inventos esse dormientes. Somnus innoxiæ securitatis certissimus index miseris opem tulit; judicatum est enim, rerum naturam non recipere, ut occiso patre, supra vulnera et cruorem ejus, quietem capere potuerint.

JUDICIIS PUBLICIS INSIGNIBUS DAMNATI[3].

1. Percurremus nunc eos, quibus in causæ dictione, magis, quæ extra quæstionem erant, nocuerunt, quam sua innocentia opem tulit. L. Scipio[4], post speciosissimum triumphum de rege Antiocho ductum, perinde ac pecuniam ab eo accepisset, damnatus est: non puto quod pretio corruptus fuerat[5], ut illum totius Asiæ dominum et jam Europæ manus victrices injicientem, ultra Taurum montem submoveret; sed alioquin vir sincerissimæ vitæ,

1. *Exemplum*. An. U. 660 circiter Cic. pro Rosc. 23. *Illud*, quod sequitur, ut sæpe.

2. *Duo fratres*. Colerus vocem *fratres* ejiciendam censuit, male; hoc enim libri constanter retinent. Sed *duo* pro glossa expungitur in MSS. novem Torrenii. — *Clœlius*. Num hic iste Cœlius Rufus fuerit, cujus epp. in Ciceronianis exstant, non plane liquet. Illud invenimus, Ciceronem (pro Rosc.) illum Cœlium item *Clœlium* vocare. Tarracina fuit in Volscis, olim Trachina, postea Anxur dicta, quod ibi Jupiter imberbis coleretur.

3. *Damnati*. Vid. *march. de Beccaria, des Délits et des Peines; Montesquieu, de l'Esprit des lois.*

4. *Scipio*. An. U. 566. Livius, XXXVIII; Plut. in Cat.

5. *Corruptus fuerat*. Vorst. credit legendum esse *corruptus fuerit*, esse autem *non puto quod corruptus fuerit*, pro, *non puto illum corruptum fuisse*. Sed Torrenius arbitratur nihil mutandum esse, et vocem *quod* hic idem valere ac *quia*, ita ut ea sit mens auctoris: *non puto eum damnatum esse, quia pretio corruptus fuerat*, etc...... *sed invidiæ quæ tunc*......, *resistere non potuit.*

et ab hac suspicione procul remotus, invidiæ, quæ tunc in duorum fratrum [1] inclytis cognominibus habitabat, resistere non potuit.

2. At Scipioni quidem maximus fortunæ fulgor, C. autem Deciano [2] spectatæ integritatis viro vox sua exitium attulit; nam quum P. Furium [3] inquinatissimæ vitæ pro Rostris accusaret, quia quadam in parte actionis de morte L. Saturnini queri ausus fuerat: nec reum damnavit, et insuper ei pœnas addictas pependit [4].

3. Sex. quoque Titium similis casus prostravit [5]. Erat innocens; erat agraria lege lata gratiosus apud populum: tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota cognitio oppressit.

4. Adjiciatur his Claudia [6], quam insontem crimine, votum impium subvertit: quia, quum a ludis domum rediens turba elideretur, optaverat ut frater suus [7], maritimarum virium nostrarum præcipua jactura, revivisceret;

1. *Fratrum*. Africani et Asiatici. — *Resistere*. Sed ne in carcerem duceretur, Gracchus trib. pl. intercessit. Vid. supr.

2. *Deciano*. An. U. 654. Cic. pro Rabir. 9; et Appianus de Bell. civil. lib. I. Decianus nulla invidia, sed errore linguæ, factus est noxius.

3. *Furium*. Sine dubio furoris Catilinæ socium. — *Queri*. Quasi Saturninus injuria cæsus esset. Is, ut consulem faceret Glauciam, Memmium, virum consularem et consulatus candidatum interfecerat. Quam ob causam coss. ex SCto armati eum persequuti sunt. Ipse lapidibus obrutus: Glauciæ cervix fracta.

4. *Pependit*. Furius quidem proprie non damnatus, sed antequam a plebe damnari posset, discerptus est judicum sententiis.

5. *Prostravit*. An. U. 655. Cic. pro Rabir. Ex hac oratione intelligitur, non a concione populi, sed ab equitibus rom. penes quos judicia tunc temporis erant, damnatum esse Titium. — *Cognitio*, sicut supr. *quæstio* est ipsum judicum collegium.

6. *Claudia*. An. U. 507. Livius; XIX; Gell. X, 6; Suet. Tiber. 2. Claudia incesti suspecta, crimine se liberaverat, zona sua navem, in qua simulacrum matris deum erat, trahens. Ovid. Fast. IV. Sed tunc, ob petulantem linguam et improbe dictum, multa ei est imposita XXV millium gravis æris.

7. *Frater suus*. De quo supr. I, 4, 3; VIII, 1, 4. Vid. Plin. XV, 1; Cic. I, de Div.

sæpiusque consul factus, infelici ductu nimis magnam urbis frequentiam minueret.

5. Possumus et ad illos brevi diverticulo transgredi, quos leves ob causas damnationis incursus abripuit. M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius, triumviri[1], quod ad incendium in sacra via ortum exstinguendum tardius venerant, a tribunis plebis die dicta ad populum damnati sunt.

6. Item P. Villius[2], triumvir nocturnus, a P. Aquilio tribuno plebis accusatus, populi judicio concidit, quia vigilias negligentius circumierat.

7. Admodum severæ notæ et illud populi judicium, quum M. Æmilium Porcinam a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime exstructæ villæ in Alsiensi[3] agro, gravi multa affecit.

8. Non supprimenda illius quoque damnatio[4], qui pueruli sui nimio amore correptus, rogatus ab eo ruri, ut omasum in cœnam fieri juberet, quum bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas esset, domito bove occiso desiderium ejus explevit. Eoque nomine publica quæ-

1. *Triumviri.* An. U. 585. *Triumvirorum nocturnorum* fuit, incendia cavere, aut, si orta essent, exstinguenda curare. — *Sacra via.* Inter urbanas celeberrima, incipiebat ab amphitheatro, et per hortos juxta templum Pacis et forum Cæsaris recta tendebat in Capitolium.

2. *P. Villius.* Nota gens *Villia.* Frustra ergo aliquot, *P. Belius.* — *Concidit.* Vid. supra, I, 4, 3. An. U. 698.

3. *Alsiensi.* An. U. 616. Vellei. II, 10. Alsium oppidum Tusciæ maritimum, nunc *Statua* vel *Ceri.*

4. *Damnatio.* Vid. Plin. VIII, 45. — *Correptus.* Sic bene Torrenius. Alii *corruptus.* Sed vid. IX, 1, 9; V, 7, extr. 1; Propert. III, 23; Senec. Hippol. V, 115, 665. — *Omasum.* Gallica vox, gallici ferculi ex intestinis bubulis nomen. — *Fieri.* Id est, apparari, Petron. cap. 47. *Quem ex eis vultis in cœnam statim fieri.* Et sic plerique MSS. et edd. vett. Pighius dedit *ferri.* Varro de R. R. II, 5. « *A bove aratore*, inquit, *antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset.* » Vid. Ælian. V, 14. Homo in exsilium missus antiquo illo ævo, quo parcimoniæ et frugalitati honos habebatur, quod Valerii ætate non factum esset. — *Domito. Bos domitus*, id est, *bos arator.*

stione afflictus est; innocens, nisi tam prisco seculo natus esset.

JUDICIIS PUBLICIS INSIGNIBUS AMBUSTÆ[1] DUÆ.

1. Atque ut eos quoque referamus, qui in discrimen capitis adducti, neque damnati, neque absoluti sunt, apud M. Popilium Lænatem prætorem quædam[2], quod matrem fuste percussam interemerat, causam dixit: de qua neutram in partem latæ sententiæ sunt; quia abunde constabat, eamdem veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos avia filiæ infensa sustulerat, parricidium ultam esse parricidio. Quorum alterum ultione[3] dignum, alterum absolutione non dignum judicatum est.

2. Eadem hæsitatione P. Dolabellæ, proconsulari imperio Asiam obtinentis, animus fluctuatus est. Materfamilias[4] smyrnæa virum et filium interemit, quum ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset: quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad areopagi cognitionem relegavit, quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque

1. *Ambustæ*. Pighius præfixit hunc titulum qui non exstat in plurimis MSS. Torrenii. Ambustus significatione translatitia est, qui vix ac ne vix quidem et cum bonæ famæ jactura mortis periculum aufugiens, et quasi ex incendio vitam ambusto corpore servans, in judicio nec absolvitur, nec damnatur.

2. *Quædam*. An. Urb. 610. — *Fuste percussam*. Vid. supra ad VI, 3, 9. *Fustim interemerat* a Pigh. est.

3. *Ultione dignum*. Pighius ex Pulm. et Sus. in textum recepit *dignum*, quod deest in aliis, non improbante Torrenio. Valerius ait ex duobus parricidiis *veneficium ultione dignum fuisse; cædem vero non dignam absolutione*. Quam sententiam ex priore lectione non colliges, quum dicat *alterum parricidium*, nempe *veneficium*, *ultione non dignum fuisse*. — *Obtinentis*. An. U. 685. Gell. XII, 7; Ammian. Marcell. XXIX, 2. De Areopago, vid. supra, II, 6, 4; V, 3, 3. — *Fluctuatus est*. Non est forma passiva pro activa, sed utroque modo effertur. Vid. Quintil. IX, 3.

4. *Smyrnæa*. Lib. Dan. *Zmirnæa*. Scribendi ratio antiquaria *zm* pro *sm*. Sic *Zmaragdus* pronuntiabant. Vetus lapis : CN. POMPEIO. EVCARPO. CN. POMPEIVS. ZMARAGDVS.

punire eam justo dolore impulsam, sustinebat. Consideranter et mansuete populi romani magistratus, sed areopagitæ quoque non minus sapienter : qui, inspecta causa, et accusatorem et ream post centum annos ad se reverti[1] jusserunt, eodem affectu moti, quo Dolabella; sed ille transferendo quæstionem, hi differendo damnandi atque absolvendi inexplicabilem[2] cunctationem mutabant.

CAPUT II.

De privatis judiciis insignibus, quibus damnati

1. T. Claudius Centumalus. — 2. Otacilia Laterensis. — 3. C. Titinius minturnensis. — 4. Quidam ob equi vecturam longiorem.

Publicis judiciis adjiciam privata[3], quorum magis æquitas quæstionum delectare, quam immoderata turba offendere lectorem poterit.

1. Claudius Centumalus[4] ab auguribus jussus altitudinem domus suæ, quam in Cœlio monte habebat, submittere, quia his ex arce augurium capientibus officiebat, vendidit eam Calpurnio Lanario, nec indicavit quod im-

1. *Ad se reverti.* Sic omnes MSS. et edd.; unus Campensis *adesse reverti.* Unde Pighius conjecit, *reverti* e glossa ortum esse, et *adesse* tantummodo verum, eo confidentius, quod Gellius eamdem ex nostro referens historiam utitur verbo *adesse;* sed non ideo necesse est et Nostrum sic loquutum fuisse.

2. *Inexplicabilem.* Id est, cujus nullus viventium visurus esset finem. — *Mutabant.* Pighius : *invitabant.*

3. *Privata.* Quoniam jus aliud publicum, aliud privatum fuit, propterea judicia quoque alia publica, alia privata exstitere : publica de criminibus, privata de controversiis instituta. Vid. Rosini Antiq. p. 886. — *Quorum.* Scilic. quæ in judiciis observatur, æquitas. — *Quorum magis ac quæstionum.* Ita vett. typis expressi et MSS. Brand. idque magis Vorstio placet quam quod Pigh. scripsit, *æquitas quærentium. Judiciorum æquitas quæstionum* est æquitas quæstionum quæ in judiciis observatur. Uni substantivo duo alia genitivo casu jungi minime insolens est.

4. *Centumalus.* An. U. 559 circiter. Cic. Offic. III, 16. — *Cal-*

peratum a collegio augurum[1] erat. A quibus Calpurnius demoliri domum coactus, M. Porcium Catonem, inclyti Catonis patrem, arbitrum Claudio addixit[2], et formulam, QUIDQUID SIBI DARE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. Cato ut est edoctus, de industria Claudium edictum sacerdotum suppressisse, continuo illum Calpurnio[3] damnavit. Summa quidem cum æquitate; quia bonæ fidei venditorem, nec commodorum spem[4] augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet.

2. Notum suis temporibus judicium commemoravi: sed nec, quod relaturus quidem sum, obliteratum est silentio[5]. C. Visellius Varro, gravi morbo correptus, trecenta

purnio Lanario. Hunc sæpius nominaverat Sallustius in historia. Hinc Calpurnius Sallustianus appellatur ab Hieronymo Apolog. adversus Rufinum.

1. *Augurum.* Augures, quum caperent auspicia, in saxo Tarpeio sedebant, et quatuor in aere spatia designabant, in oriente, quod anticam appellabant, in occidente posticam, in meridie dextram, in septemtrione vero sinistram. Et quum hæc designassent, concipiebant animo, quæ signa mitti vellent, vel vultures, vel aquilas, vel columbas: inde exspectabant, numquid appareret; quod si apparuisset, existimabant, placere Diis; si minus, non placere.

2. *Claudio addixit.* Vulgo legebatur *cum Claudio adduxit.* Sed Pigh. ex Camp. Gemblac. Atreb. et Cauch. edidit *Claudio adduxit*, unde Cujacius et Brissonius de Form. legunt *Claudio addixit*, quod Vorstius primus in textum recepit. Bene, nam judices seu arbitri dicuntur *addicti*, qui vel a prætore dabantur (respice illud prætorum *do, dico, addico*), vel e conventione litigatorum sumebantur. — *Oporteret. Et formulam, quidquid — ex fide bona.* Hæc lectio a Pighio est, quem alii editores sequuti sunt; olim vero legebatur, *ut formulam daret, quid sibi de ea re facere op. ex f. b.* In nonnullis etiam *de ea re* omittitur, in aliis est *dari*, in aliis aliter. Torrenius conjicit, *ut formulam daret, quid sibi dare facere oporteret ex fide bona:* id est, Cato constitueret formulam judicialem, quid oporteret Claudium facere atque præstare ipsi Calpurnio. Vid. Brisson. de Form. solenn. veterum.

3. *Calpurnio.* Id est, in favorem Calpurnii.

4. *Spem.* Uterque Paris. Barb. Copes. *speciem*, quod Torrenio non displicet. *Speciem augere* est facere ut commoda videantur majora. *Spes* et *species* sæpissime in MSS. confunduntur.

5. *Silentio.* An. U. 675 circiter. Cic. in Brut. 76. Rem *silentio obliterare* habet Sueton. Tiber. 22.

millia nummum ab Otacilia Laterensi [1], cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est: eo consilio, ut, si decessisset, ab heredibus eam summam peteret; quam legati genus esse voluit, libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando. Evasit deinde Visellius ex illa tempestate adversus vota Otaciliæ: quæ offensa, quod spem prædæ suæ morte non maturasset, ex amica obsequenti subito destrictam [2] fœneratricem agere cœpit nummos petendo; quos ut fronte inverecunda, ita inani [3] stipulatione captaverat. De qua re C. Aquilius, vir magnæ auctoritatis, et scientia juris civilis excellens, judex [4] addictus, adhibitis in consilium principibus civitatis, prudentia et religione sua mulierem repulit. Quod si eadem formula et Varro damnari, et adversaria absolvi potuisset, ejus quoque non dubito quin turpem et inconcessum errorem libenter castigaturus fuerit: nunc privatæ actionis calumniam ipse compescuit; adulterii crimen publicæ quæstioni vindicandum [5] reliquit.

3. Multo animosius, et ut militari spiritu dignum erat, se in consimili genere judicii C. Marius gessit [6]; nam quum C. Titinius minturnensis Fanniam uxorem, quam impudicam de industria duxerat, eo crimine repudiatam, dote

1. *Laterensi.* Forte *Laterensis*, scl. uxor; nam fuit in matrimonio. — *Ferri.* Computari tamquam expensa a se, hoc est, se mutuo accepisse ab Otacilia.

2. *Destrictam.* Severam, acrem, II, 9, 6.

3. *Inani.* Vana promissione. Neque enim consequuta est, quod optabat. Nam *stipulari* est interrogare. *Stipulatio* autem, teste Pomponio, est verborum conceptio, quibus, qui interrogatur, daturum facturumque, quod interrogatum est, respondet. C. Aquilius autem ille primus de dolo malo legem tulit.

4. *Judex. Judex* in causa stricti juris e legibus, arbiter in causis bonæ fidei ex æquo et bono judicabat. Vid. Cic. Rosc. 4. — *Addictus.* Vulgo legitur *adductus*. Sed Vorstius conjicit legendum esse *addictus*. Ut paulo ante *arbitrum addicere*; sic nunc *judex addictus* dicitur.

5. *Vindicandum.* Ante Pighium legebatur *judicandum*, sed *vindicandum* melius est. Vid. Liv. IX, 6. *Quia impia proditio celeri pœna vindicata est.*

6. *Gessit.* A. U. 653. Plut. in vit.

spoliare conaretur, sumptus inter eos judex, in conspectu habita quæstione, seductum[1] Titinium monuit, *ut incepto desisteret, ac mulieri dotem redderet.* Quod quum sæpius frustra fecisset, coactus ab eo sententiam pronuntiare, mulierem impudicitiæ ream sestertio nummo, Titinium summa[2] totius dotis damnavit; præfatus, « idcirco se hunc judicandi modum sequutum, quod liqueret sibi, Titinium patrimonio Fanniæ insidias struentem, impudicæ conjugium expetisse. » Fannia autem hæc est, quæ postea Marium hostem a senatu judicatum, cœnoque paludis, qua extractus erat, oblitum, etiam in domum suam custodiendum Minturnis[3] deductum, ope quantacumque potuit, adjuvit: memor, quod impudica judicata esset, suis moribus; quod dotem servasset, illius religioni acceptum ferri debere.

4. Multus sermo eo etiam judicio manavit[4], in quo quidam furti damnatus est; quod equo, cujus usus illi usque Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivo vectus esset. Quid aliud hoc loci, quam verecundiam illius seculi laudemus, in quo tam minuti[5] a pudore excessus puniebantur?

1. *Seductum. Seducere* est a turba removere, ut seorsim cum aliquo agere possimus.

2. *Summa totius dotis.* Ut totam dotem restitueret.

3. *Minturnis.* Vid. supra I, 5, 5; I, 7, 5; II, 10, 6.

4. *Manavit.* Vid. Symmach. VII, ep. 69. Codd. Justinian. IX, tit. 1, 6. — *Furti.* Id prisci JCti de iis sæpius statuerunt, qui ultra, quam dictum esset, equis commodatis veherentur. — *Verecundia* et *pudore* hic utitur tamquam synonymis.

5. *Minuti.* Ed. vet. *minimo.* Unde Lips. legit *minimi.* Nihil opus.

CAPUT III.

De mulieribus quæ causas apud magistratus egerunt[1].

1. Amæsia Sentia. — 2. Afrania Licinii Buccionis. — 3. Hortensia Q. F.

Ne de his quidem feminis tacendum est, quas conditio naturæ, et verecundiæ stola[2], ut in foro et judiciis tacerent, cohibere non valuit.

1. Amæsia Sentia rea[3], causam suam, L. Titio prætore judicium cogente, maximo populi concursu egit: partesque omnes ac numeros[4] defensionis non solum diligenter, sed etiam fortiter exsequuta, et prima actione, et pæne cunctis sententiis liberata est. Quam, quia sub specie feminæ virilem animum gerebat, *Androgynem* appellabant.

2. C. vero[5] Afrania, Licinii Buccionis senatoris uxor, prompta ad lites contrahendas, pro se semper apud prætorem verba fecit: non quod advocatis deficiebatur[6], sed quod impudentia abundabat. Itaque inusitatis foro latratibus[7] assidue tribunalia exercendo, muliebris calumniæ

1. *Egerunt.* Ed. vet. cum MSS. cum multis et edd. Pigh. prioribus: *quæ mulieres apud magistratus pro se aut pro aliis causas egerunt.*

2. *Stola.* In senatum venire feminas, fas non erat. Itaque post Semiamiram Heliogabali matrem severe cautum est, ne unquam mulier in senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput dicaretur devoveretur que, per quem id esset factum, uti refert Lampridius.

3. *Rea.* A. U. 676.

4. *Numeros.* I. e. perfectam defensionem. Cic. de N. D. II, 13, Infr. VIII, 7. 6. Ante Pigh. legebatur: *motusque omnes ac nervos defensionis. Nervos* ortum est ex compendio scribendi *nūos*, ut in quibusdam exstat.

5. *G. vero Afrania.* Prænomen *C.*, vel G., vel Gaia, exstat saltem in decem MSS. Torrenii et omnibus vetustis edd. In edit. vet. est *Cafrania*, uti apud Ulpianum in Digestis, ubi Alciatus recte legit *C. Afrania.* Prænomina sæpe cum sequentibus nominibus coaluisse inter alios egregie demonstravit Periz. Animadv. Hist. p. 455. Sic *Agellius* pro *A. Gellius.* — *Fecit.* A. U. 705.

6. *Deficiebatur.* Destituebatur.

7. *Latratibus.* Unde et illud Ovidii: verba canina toto foro jactare.

notissimum evasit exemplum; adeo, ut pro crimine improbis feminarum moribus C. Afraniæ nomen objiciatur. Prorogavit autem spiritum suum ad C. Cæsarem iterum, et P. Servilium coss.[1] Tale enim monstrum magis, quo tempore exstinctum, quam quo sit ortum, memoriæ tradendum est.

3. Hortensia vero, Q. Hortensii filia[2], quum ordo matronarum gravi tributo a triumviris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet, causam feminarum apud triumviros et constanter et feliciter egit: repræsentata enim patris facundia, impetravit, ut major pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Revixit tum muliebri stirpe Q. Hortensius, verbisque filiæ adspiravit. Cujus si virilis sexus posteri vim sequi voluissent, Hortensianæ eloquentiæ tanta hereditas una feminæ actione abscissa[3] non esset.

CAPUT IV.

De quæstionibus habitis a

1. M. Agrii servo. — 2. Alexandro C. Fannii. — 3. Philippo Fulvii Flacci.

Atque ut omnes judiciorum numeros exsequamur, quæstiones[4], quibus aut creditum non est, aut temere habita fides est, referamus.

1. *C. Cæsarem iterum, et P. Servilium Coss.* Hæc lectio a Pighio est, Colero nimis temere amplexo lectionem libri Dan. *C. Cæsarem III, iterum ad P. Servilium coss.* Quid enim significabit, *iterum ad P. Servilium coss.*, nisi *P. Servilium iterum consulem fuisse*, quum *Cæsar* esset *tertium cos.;* quod falsum, ut satis ex annalibus Pighii liquet. Itaque, quum III et *iterum* in quibusdam MSS. jungantur, apparet hoc inde ortum, quod in aliis III, corrupte pro II, in aliis *iterum* omnibus litteris fuit scriptum.

2. *Filia.* A. U. 710. Appian. Civ. IV. Quintil. I, 1, 6. — *Triumviris.* Lepido, Antonio, Augusto.

3. *Abscissa.* Id est, finita: nam nepos Hortensii multum degener fuit ab avita virtute, III, 5, 4.

4. *Quæstiones.* De *quæstionibus ex-*

1. M. Agrii argentarii[1] servus Alexandrum C. Fannii servum occidisse insimulatus est; eoque nomine tortus a domino, *admisisse se id facinus* constantissime asseveravit: itaque Fannio deditus[2], supplicio affectus est. Parvulo deinde tempore interjecto, ille, cujus de nece creditum erat, domum rediit[3].

2. Contra Fannii servus Alexander, quum in suspicionem C. Flavii equitis romani occisi venisset, sexies tortus pernegavit, *ei se culpæ affinem fuisse;* sed perinde atque confessus, et a judicibus damnatus, et a L. Calpurnio triumviro in crucem actus est.

3. Item Fulvio Flacco causam dicente[4], Philippus servus ejus, in quo tota quæstio nitebatur, octies tortus, nullum omnino verbum, quo dominus perstringeretur, emisit; et tamen reus damnatus est; quum certius argumentum innocentiæ unus octies tortus exhiberet, quam octo semel torti præbuissent.

traordinariis usque ad A. U. 605; deinde *perpetuis* et *publicis*, alii egerunt. Hic intelligitur ea quæstio judicialis, quæ fiebat torquendo servos.

1. *Argentarii. Argentarius* i. q. mensarius, fœnerator, qui non solum pecuniæ fœnori, sed et vendendis quibusdam rebus, ut auri argentique speciebus, nummis veteribus, vasis cælatis gemmisque operam dabat. Vid. Sigonium de antiq. jur. civ. rom. II, 11.

2. *Deditus.* Lege enim cautum, ut servi noxii dederentur.

3. *Domum rediit.* Quantum debemus nostrorum temporum felicitati, ut hoc tam anceps veritatis experimentum abrogaretur, quo sæpe factum, ut dolorum impatiens supplicio immerito adficeretur, et durus et robustus nebulo justa pœna liberaretur.

4. *Dicente.* Flaccum a Lælio accusatum peculatus et repetundarum, Cicero defendit. Accusatus est inter alia: quod classis nomine pecuniam civitatibus imperasset; quod Heracliensibus pecuniam, quæ apud ipsum Flacci patris sui nomine erat, abstulisset; quod Falcidius L. talenta se Flacco dedisse dicebat. — *Quæstio. Quæstio* aliud hic est, quam initio capitis. Ibi enim quæstiones, quæ per torturam fiunt significantur: hic vero quæstio idem quod *judicium*. Vid. supr. VIII, 2, ab init. — *Perstringeretur.* Læderetur. Vid. supr. VI, 8, 1. Copes. *adstringeretur*, minus bene.

CAPUT V.

De testimoniis irritis vel ratis

1. Cæpionum ac Metellorum in Q. Pompeium. — 2. M. Æmilii Scauri in diversos. 3. L. Crassi in M. Marcellum. — 4. Q. Metelli, Lucullorum, Hortensii et Lepidi in C. Cornelium. — 5. M. Ciceronis in P. Clodium. — 6. P. Servilii Isaurici in quemdam reum.

1. Sequitur ut ad testes pertinentia exempla commemorem. Cn. et Q. Serviliis Cæpionibus, iisdem parentibus natis et per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem provectis, item fratribus Q. et L. Metellis consularibus et censoriis, altero etiam triumphali, in Q. Pompeium A. F.[1] repetundarum reum acerrime dicentibus testimonium, non abrogata fides absoluto Pompeio; sed ne potentia inimicum oppressisse viderentur, occursum est.

2. M. etiam Æmilius Scaurus, princeps senatus, C. Memmium[2] repetundarum rerum destricto testimonio insequutus est: idem C. Flavium[3] eadem lege accusatum testis proscidit. Jam C. Norbanum majestatis[4] crimine publicæ quæstioni subjectum, ex professo opprimere conatus est: nec tamen aut auctoritate, qua plurimum pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quemquam illorum affligere potuit.

1. *Q. Pompeium A. F.* Cave cum Aldo legas *Q. Pompeium Aufidium*, nam MSS., et ed. Mog. clare habent *Auli filium*. — *Reum*. A. U. 615; Cic. p. Fonteio. 7. Plin. VII, c. 43. — *Abrogata*. *Abrogare* seu derogare fidem, nota formula loquendi.

2. *Memmium*. A. U. 650. — *Repetundarum reum*. Ex Asia, ut conjicitur. — *Destricto*. Vehementi et armato, quasi districto seu nudato gladio.

3. *Flavium*. A. U. 547; Cic. loco citato. — *Lege* repetundarum.

4. *Majestatis*. Quod P. R. majestatem violasset. A. U. 559. Norbanus missos a Sulla legatos, qui de pace agerent, consul violaverat; idem postea proscriptus, in urbe Rhodo cum comprehenderetur, se ipsum occidit.

3. L. quoque Crassus tantus apud judices, quantus apud P. C. Æmilius Scaurus (namque eorum suffragia robustissimis et felicissimis eloquentiæ stipendiis regebat, eratque sic fori, ut ille curiæ princeps); quum vehementissimum testimonii fulmen in M. Marcellum reum[1] injecisset, impetu gravis, exitu vanus apparuit.

4. Age, Q. Metellus Pius, L. M. Luculli, Q. Hortensius, M. Lepidus, C. Cornelii[2] majestatis rei, quam non onerarunt tantummodo testes salutem, sed etiam negantes, illo incolumi stare rempublicam posse, depoposcerunt? Quæ decora[3] civitatis (pudet referre) umbone judiciali repulsa sunt.

5. Quid, M. Cicero forensi militia[3] summos honores amplissimumque dignitatis locum adeptus, nonne in ipsis eloquentiæ suæ castris testis abjectus est, dum P. Clodium Romæ apud se fuisse juravit, illo sacrilegum flagitium uno absentiæ argumento tuente? Siquidem judices Clodium incesti crimine, quam Ciceronem infamia perjurii liberare maluerunt.

1. *Reum.* Repetundarum ex Græcia et Achaia, ut videtur. A. U. 660.

2. *C. Cornelii.* A. U. 687. Cornelius in tribunatu justo pertinaciorem se gessisse videbatur. Inter cætera promulgaverat legem, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur, quod antiquo etiam jure erat cautum. Hanc, quia senatus auctoritatem minuebat, inique ferebat senatus. Servilius Globulus trib. pl. igitur subornatus qui collegæ resisteret, et præconem pronuntiare passus non est. Sed Cornelius ipse codicem recitavit, quod fieri contra tribunitiam intercessionem Piso cos. questus est. Sed consul a plebe gravi contumelia adfectus, fracti fasces, lapides in ipsum jacti. Imminutæ postea majestatis tribunitiæ accusatus Cornelius. — *Depoposcerunt.* Scilicet ad mortem.

3. *Decora.* Illustrissimi viri eorumque testimonia quasi umbone clypei repulsa sunt, ne obessent Cornelio.

4. *Forensi militia.* Id est, orationibus suis, et eloquentia sua. — *Abjectus est.* A. U. 692; Plut. Dio, 37; Cic. Att. I; Senec. Lucil. ep. 98. De Clodio jam supra III, 5, 3; IV, 2, 5. — *Sacrilegum.* Quia correptus amore Pompeiæ sacra Bonæ Deæ adire non dubitavit, quibus adesse nefas erat viro. *Flagitium* incestus est. Cæsar hanc ob rem uxorem suam repudiavit. Vid. Sueton in vita Cæs. Incestum etiam

6. Tot elevatis testibus, unum, cujus nova ratione judicium ingressa auctoritas confirmata est, referam. P. Servilius[1] consularis, censorius, triumphalis, qui majorum suorum titulis *Isaurici* cognomen adjecit, quum forum præteriens testes in reum dari vidisset, loco testis constitit, ac summam inter patronorum pariter et accusatorum admirationem sic orsus est: « Hunc ego, judices, qui causam dicit, cujas sit, aut quam vitam egerit, quamque merito vel injuria accusetur, ignoro: illud tantum scio, quum occurisset mihi Laurentina via iter facienti, admodum angusto loco equo descendere noluisse[2]: quod an aliquid ad religionem[3] vestram pertineat, ipsi æstimabitis; ego id supprimendum non putavi. » Judices reum, vix auditis cæteris testibus, damnaverunt; valuit enim apud eos quum amplitudo viri, tum gravis neglectæ dignitatis ejus indignatio: eumque qui venerari principes nesciret, in quodlibet facinus procursurum crediderunt.

de sororibus possumus intelligere: duas enim amasse suspicio erat.

1. *Servilius.* A. U. 679; Flor III, 6; Cicer. Verr. I, 21. Servilius missus contra piratas fuerat, quos non mari tantum submovit, sed et oppida eorum, Phalesim et Olympon, Isaurumque ipsam, arcem Ciliciæ, expugnavit atque evertit. Qua de causa *Isaurici* sibi nomen sumpsit. — *Ac summam inter patronorum.* Ita cum octo MSS. et ed. vet. Alii, *ac per summam patronorum;* alii, *ac per summam inter patronorum.* Torrenius conjicit: *et per summam interim patronorum;* ut Valerius dicat, dum illi pariter factum ejus mirantur, ipsum sic orsum fuisse.

2. *Descendere.* Quis honor tribuendus fuerit summis magistratibus, testatur Senec. ep. 70. *Si consulem video aut prætorem, omnia quibus honor haberi solet, faciam: equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam.*

3. *Religionem.* Sensus est: ipsi intelligetis, an id, quod narravi, tanti sit, ut a vobis, qui summa diligentia cavetis, ne quid minus recte fiat, ejus ratio habenda sit in judicando. — *Vestram.* Bit. prim. *nostram*, quod Sigonius malit; nam, inquit, jubet Servilius, ut judices æstiment, an neglecti viri triumphalis senis peccatum aliquid ad severitatem romanæ disciplinæ pertineat. Sed in toto hoc loco Torrenius videt nihil quod ad *religionem publicam civitatis* pertinere possit. Itaque quum hic agatur de judicibus, quorum *religio*, seu *fides jurisjurandi*, passim ab omnibus scriptoribus memoretur, non dubium videtur quin hic quoque *eorum religio* debeat intelligi.

CAPUT VI.

Qui, quæ in aliis vindicarant, ipsi commiserunt.

1. C. Licinius Hoplomachus. — 2. C. Marius Cos. 6. — 3. C. Licinius Calvus Stolo. — 4. Q. Varius Hybrida.

Ne illos quidem latere patiamur, qui, quæ in aliis vindicarant, ipsi commiserunt.

1. C. Licinius, cognomine Hoplomachus, a prætore postulavit, ut patri suo bonis, tamquam ea dissipanti, interdiceretur; et quidem, quod petierat, impetravit; sed ipse parvo post tempore, mortuo sene, amplam ab eo relictam pecuniam latifundiaque [1] festinanter consumpsit: dignus hac vicissitudine pœnæ fuit; quoniam hereditatem absumere, quam heredem maluit tollere [2].

2. C. autem Marius, quum magnum et salutarem reipublicæ civem in L. Saturnino [3] opprimendo egisset, a quo in modum vexilli pileum servituti ad arma capienda osten-

1. *Latifundiaque.* Sic edidit Pighius. Aldus dederat, *ampla ab eo relicta latifundia:* quæ lectio, judice Kappio, multo melior est Pighiana. MSS. variant: alii cum Aldo faciunt; alii *latifundia*, alii *pecuniam* delent; hi pro utroque *facultatem*, illi *prædia* habent, ita ut *ampla* et *relicta* semper substantivo accommodentur.

2. *Tollere.* Sensus est: Licinium maluisse absumere bona paterna, quam heredibus suis relinquere. Quum vero festinanter omnia dissiparet, ita, ut ipse inopia premeretur, dicitur a Valerio subiisse eamdem fortunam, quam subierat pater, idque jure meritoque. In vocibus *tollere heredem* Valerius acumen quæsisse videtur. Tollere quidem poterat filios filiasque, sed heredes tollere non poterat; quia omnibus facultatibus destitutus et ad incitas redactus fuerat.

3. *Saturnino.* A. U. 653; Liv. LXIX; Cic. p. Rabir.; Flor. III, 16. Saturninum, quum proposito pileo servos ad sui auxilium convocasset, Marius oppresserat: sed ipse ad servorum opem ferendam signo libertatis proposito deinde confugit. *Pileum* hic usurpatur pro *pileus*, *servitus* pro *servis*, uti et *dominatio* pro *dominis*.

tatum erat; L. Sulla cum exercitu in urbem irrumpente, ad auxilium servorum pileo sublato[1] confugit: itaque dum facinus, quod punierat, imitatur, alterum[2] Marium, a quo affligeretur, invenit.

3. C. vero Licinius Stolo[3], cujus beneficio plebi petendi consulatum potestas facta est, quum lege sanxisset, *ne quis amplius quam quingenta agri jugera possideret*, ipse mille comparavit; dissimulandique criminis gratia dimidiam partem filio emancipavit[4]: quam ob causam a M. Popilio Lænate accusatus, primus sua lege cecidit; ac docuit, nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperaverit.

4. Q. autem Varius[5], propter obscurum jus civitatis *Hybrida* cognominatus, tribunus plebis legem adversus intercessionem collegarum perrogavit, quæ jubebat quæri, *quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent*, magna cum clade reipublicæ; sociale[6] enim prius, deinde civile bellum excitavit; sed dum ante pestiferum tribunum

1. *Sublato*. Scilicet in altum, ut libertatem promitteret.

2. *Alterum*. Sullam puta, qui idem faceret, quod Marius Saturnino. A. U. 665.

3. *Stolo*. A. U. 396; Liv. VII, 16; Aurel. Vict. Plut. in Camill. Lex lata A. U. 396; Plin. XVIII, 3.

4. *Emancipavit*. *Emancipare* est per imaginariam venditionem addicere alicui, vel quovis modo alienare, et in alterius jura transferre, vel dono etiam dare. Nam quum Tacitus, Historiarum lib. I, cap. 24, tom. III, pag. 43, nostræ editionis, scribit: « Othonem Proculo de parte finium cum vicino ambigenti, *universum agrum vicini sua pecunia emptum dono dedisse*; » Sueton. in Othone 4, eamdem rem narrans, *emancipasse* dixit.

5. *Varius*. A. U. 662. Cic. in Brut.; Appian. Civ. I. — *Hybrida*. An contumelia ita sit vocatus, dubitaverunt nonnulli. Plin. lib. V, 52, de suibus: « *In nullo genere æque facilis mixtura cum fero: qualiter natos antiqui Hybridas vocabant; ad homines quoque, ut C. Antonium, Ciceronis in consulatu collegam, appellatione translata.* » Sic dictum, quod contumeliose mixto sanguine natus, et dubium esset, an deberet censeri civis rom., Badius judicat. Homines enim variis modis *Hybridæ* dici potuere, ut si quis ex ingenuo et servo, aut ex servo et libertino natus esset. Vid. Horat. lib. I, sat. 7, v. 2. — *Perrogavit*. Perrogari dicuntur leges, si a populo accipiuntur.

6. *Sociale*. Quod tandem Pompeius Strabo sedavit.

plebis quam certum[1] civem agit, sua lex eum domesticis laqueis constrictum absumpsit.

CAPUT VII.

De studio et industria Romanorum.

1. M. Catonis majoris. — 2. M. Catonis Uticensis. — 3. M. Terentii Varronis. — 4. C. Livii Drusi — 5. Paulli senatoris et Pontii Lupi. — 6. Crassi Muciani. — 7. Q. Roscii comœdi.

De studio et industria Externorum.

1. Demosthenis atheniensis. — 2. Pythagoræ samii. — 3. Platonis atheniensis. — 4. Democriti abderitæ. — 5. Carneadis cyrenæi. — 6. Anaxagoræ clazomenii. — 7. Archimedis syracusii. — 8. Socratis atheniensis. — 9. Isocratis atheniensis. — 10. Chrysippi tharsensis. — 11. Cleanthis assii. — 12. Sophoclis atheniensis. — 13. Simonidis ceii. — 14. Solonis atheniensis. — 15. Themistoclis atheniensis. — 16. Cyri et Mithridatis, regum.

DE STUDIO ET INDUSTRIA ROMANORUM.

Quid cesso vires industriæ commemorare? cujus alacri spiritu militiæ stipendia roborantur, forensis gloria accenditur, fido sinu cuncta studia recepta nutriuntur, quidquid animo, quidquid manu, quidquid lingua admirabile est, ad cumulum laudis perducitur: quæ quum perfectissima sit virtus, duramento sui confirmatur[2].

1. Cato sextum et octogesimum annum agens[3], dum in republica tuenda juvenili animo perstat, ab inimicis capi-

1. *Certum.* Veronensis fuit, et ejus jus civitatis Rom. obscurum. — *Absumpsit.* Dum seditionem concitat, lege opprimitur.

2. *Duramento sui confirmatur.* Pigh. *eam tamen duramento sui confirmat,* quod solus Ultr. prim. habet: reliqui omnes præferunt lectionem, *sui confirmatur,* nisi quod unus atque item alter, *confirmat.* Emendatio Pighiana Torrenio non placet. Quid erit, *confirmat* eam? *Quam?* an *laudem?* ea enim vox proxime præcessit; nugæ. Id vult, industriam, quum sit perfectissima virtus, ipso sui robore, vel *dum se ipsa obdurat,* confirmari. Sic *duramentum,* quo duratur et confirmatur aliquid, II, 7, 10.

3. *Agens.* A. U. 604. Plin. VII, 27. Cic. Quæst. Academ. lib. IV, 2; in Bruto, 20.

tali crimine accusatus, suam causam egit; neque aut memoriam ejus quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris ulla ex parte quassatam, aut os hæsitatione impeditum animadvertit: quia omnia ista in statu suo æquali ac perpetua industria continebat[1]: quin etiam in ipso diutissime actæ vitæ fine disertissimi oratoris Galbæ[2] accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit.

Idem græcis literis[3] erudiri concupivit: quam sero, inde æstimemus, quod etiam latinas pæne jam senex didicit; quumque eloquentia magnam jam gloriam partam haberet, id egit, ut juris civilis quoque esset peritissimus.

2. Cujus mirifica proles[4], propior ætati nostræ Cato, ita doctrinæ cupiditate flagravit, ut ne in curia quidem, dum senatus cogitur, temperaret sibi, quo minus libros græcos lectitaret: qua quidem industria ostendit, aliis tempora deesse, alios temporibus superesse[5].

3. Terentius autem Varro[6], humanæ vitæ exemplo et

1. *Continebat.* Potissimum moderatione et temperantia factum, ut plerique veterum sapientum non ad summam modo ætatem, sed et validis adhuc mentis corporisque viribus pervenirent. Vid. Cicero in Catone.

2. *Galbæ.* Hic Galba, quum se condemnatum videret, complexus duos filios prætextatos et Sulpitii filium, cujus tutor erat, oratione sua tantam misericordiam movit, ut rogatio antiquaretur. — *Opposuit.* Vult a Catone defensam esse Hispaniam, quam accusabat Galba, tamquam merito tam gravia a se perpessam.

3. *Græcis literis.* Cicer. lib. IV Acad. Quæstion. — *Concupivit.* Vid. Nepot. Plut. et Aurel. Vict. in vita.

4. *Proles. Cato.* Uticensis. Vide Ciceronem, de Finibus, lib. III, c. 2. *Proles* est pronepos Uticensis.

5. *Alios temporibus superesse.* Id est, alios nimis abundans tempus habere, seu illis multum temporis restare in quo nihil habeant, quod agant. Sic Cicero apud Gellium I, 22: « Nec scientia juris majoribus suis Q. Æl. Tubero defuit, doctrina etiam *superfuit*. »

6. *Varro.* Vid. Gell. III, 10. — *Exemplo et spatio nominandus.* Sic Vorstius ex plerisque libris bene restituit, quum Pigh. solam lectionem Camp. sequutus edidisset, *exemplum ætatisque spatium nominandus!* Verum quam inconcinnum illud, *ætatis spatium nominandus.* Non potest Varro ætatis spatium nominari, sed nominari idem potest propter ætatis spatium. Ac pro illo ipso, *propter ætatis spatium*, Valerius scripsit,

spatio nominandus, non annis, quibus seculi tempus æquavit, quam stilo vivacior fuit; in eodem enim lectulo et spiritus ejus, et egregiorum operum cursus exstinctus est.

4. Consimilis perseverantiæ Livius Drusus[1], qui ætatis viribus, et acie oculorum defectus, jus civile populo benignissime interpretatus est, utilissimaque discere id cupientibus monumenta composuit; nam ut senem illum natura, cæcum fortuna facere potuit, ita neutra interpellare[2] valuit, ne non animo et videret et vigeret.

5. Publius vero senator, et Pontius Lupus eques romanus, suis temporibus celebres causarum actores, luminibus capti, eadem industria forensia stipendia[3] exsequuti sunt; itaque frequentius etiam audiebantur, concurrentibus aliis, quia ingenio eorum delectabantur, aliis, quia constantiam admirabantur; namque [4] alii eo incommodo perculsi secessum petunt, duplicantque tenebras, fortuitis voluntarias adjicientes.

6. Jam P. Crassus[5], quum in Asiam ad Aristonicum

spatio. Ablativo causam denotari, nihil novi. — *Seculi.* Censorinus de die nat. *duplex seculum* constituit, *naturale* et *civile*: civile esse ait apud Rom. centum annorum. Mortuus autem est Varro, quum mores multorum vidisset, post bellum actiacum fere nonagenarius.

1. *Drusus.* Cic. Tusc. V, 38; in Bruto, 28. Pighius putat, Liviam, Tiberii matrem, hujus Drusi fuisse neptem.

2. *Interpellare*, pro impedire : *ne non* pro *quo minus*.

3. *Stipendia.* Actiones causarum. — Vid. Digest. l. III, tit. 1, §. 5; *de postulando*.

4. *Namque alii eo incommodo.* Hæc lectio, quæ ad MSS. proxime accedit, a Torrenio est. In MSS. et ed. vet. legitur : *namque alii incommodo*, vel *namque tali incommodo*, vel *namque incommodo isto*. Pigh. ex Camp. dederat *namque tali incommodo*. — *Voluntarias.* In plerisque MSS et edd. *voluntaria:* male. Id enim vult auctor, illos duplicare tenebras, dum cæcitati, quæ casu illis contigit, alias addunt sponte sua, lucem hominum fugientes et in obscuro reliquam ætatem agentes.

5. *Crassus.* A. U. 622. Quintil. XI, 2. Supra III, 2, 12. Crassi ingenium, studium ac industriam Cic. in Bruto commendat. — *Genera.* Dialectos significat : Ionicam, Doricam, Atticam, Æolicam et communem. Veteres IV tantum numerabant. Vid. Salmas. de Hellenist., p. 151.

regem debellandum consul venisset, tanta cura græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque divisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret: quæ res maximum ei sociorum amorem conciliavit, qua quis eorum lingua apud tribunal illius postulaverat, eadem decreta reddenti.

7. Ne Roscius[1] quidem subtrahatur, scenicæ industriæ notissimum exemplum, qui nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est; quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendavit; nec vulgi tantum favorem, verum etiam principum familiaritates amplexus est. Hæc sunt attenti, et anxii, et nunquam cessantis studii præmia; propter quæ tantorum virorum laudibus non impudenter se persona histrionis inseruit.

DE STUDIO ET INDUSTRIA EXTERNORUM.

1. Græca quoque industria, quoniam nostræ multum profuit, quem meretur fructum, latina lingua recipiat[2]: Demosthenes, cujus commemorato nomine, maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur, quum inter initia juventæ, artis, quam affectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnavit, ut ea a nullo expressius efferretur; deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad maturum et gratum auribus sonum perduxit; lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, a labore mutuatus est; multos enim versus[3]

1. *Roscius*. Vid. Cic. pro Rosc. et Archia poeta. Roscius eam gloriam assequutus est, ut quicunque in histrionum arte, aut simili, excelleret, Roscius diceretur. Vid. Cic. de Or. I, et Festus.

2. *Recipiat*. Id est: græca industria recipit fructum latina lingua, dum Græci latinis verbis laudantur. — Vid. Cic. de Or. I, 61; de Div. II, 46; Quint. I, 11, 5; X, 3, 25 et 30, et plur. locis. Plutarch. in vit. Demosth. Cic. de Fin. V, 2.

3. *Versus*. Hoc loco non intelligendi

uno impetu spiritus complectebatur, eosque adversa loca celeri gradu scandens, pronuntiabat; ac vadosis litoribus insistens, declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, ut ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis[1] auribus in actionibus uteretur. Fertur quoque ore insertis calculis multum ac diu loqui solitus, quo vacuum promptius esset et solutius. Præliatus est cum rerum natura, et quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando: itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est.

2. Atque ut ad vetustiorem industriæ actum transgrediar, Pythagoras[2] perfectissimum opus sapientiæ a juventa pariter et omnis honestatis percipiendæ cupiditatem ingressus (nihil enim quod ad ultimum sui finem perventurum est, non et mature et celeriter incipit), Ægyptum petiit: ubi literis gentis ejus assuefactus, præteriti ævi sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium[3] seculorum observationes cognovit: inde ad Persas profectus, magorum exactissimæ prudentiæ se formandum tradidit; a quibus siderum motus, cursusque stellarum, et uniuscujusque vim, proprietatem et effectum benignissime demonstra-

de oratione ligata, sed de particulis orationis solutæ.

1. *Duratis auribus*. I. e. ut in orationibus habendis aures adsuesceret ad fremitum multitudinis concitatæ, neque expavesceret. Atque hæc lectio multos habet testes non contemnendos. Pigh. tamen expunxit *in actionibus*, auctoritate cod. Winch. quocum facit ed. vet. Perizonio concinnior videtur lectio Copes. et septem MSS. Pighii, *duratis actionibus*, omissis duabus vocibus *auribus in*; et exponit: ut peroraret duratus contra fremitus concionum. Ast *actio* hoc loco non in sensu rhetorico pro actu perorandi, sed in sensu forensi accipi debet.

2. *Pythagoras*. Vid. Diog. Laert. in vit.; Cicer. de Fin. V, 29; Tusc. IV, 19, 25; V, 3 et 4; I, 16; August. de C. D. VIII, 1. Legantur etiam de Pythagora Bruckerus et Tiedemann. — *Pariter et*. Pigh. eumque sequuti *et* contra omnes libros tacite omiserunt.

3. *Innumerabilium*. Gloriam enim populi olim petiere ex longæva origine, præcipue Ægyptii. Vid. Justin. II, 1; et Herodot. Diod. Sic. I, pag. 62; August. de Civ. Dei, XII, 10.

tum docili animo hausit[1]; Cretam deinde et Lacedæmona navigavit, quarum legibus ac moribus inspectis, ad Olympicum certamen descendit; quumque multiplicis scientiæ maxima totius Græciæ admiratione[2] specimen exhibuisset, *quo cognomine censeretur*, interrogatus, *non se* σοφὸν (jam enim illud septem excellentes viri occupaverant), sed φιλόσοφον *esse* respondit: in Italiæ[3] etiam partem, quæ tunc major Græcia appellabatur, perrexit; in qua plurimis et opulentissimis urbibus effectus suorum studiorum[4] approbavit; cujus ardentem rogum plenis venerationis oculis Metapontus adspexit, oppidum Pythagoræ, quam suorum cinerum[5], nobilius clariusve monumento.

3. Plato[6] autem patriam Athenas, præceptorem Socratem sortitus, et locum et hominem doctrinæ fertilissimum,

1. *Hausit.* Hoc Pigh. ex Cauch. et Colon. edidit. Vid. I, 7, ext. 1; VII, 2, ext. 1; VIII, 7, ext. 2; Alii, *scripsit; serpsit; sorpsit.* Vid. Cic. ad Quintum frat. III, 9; Philipp. XI, 5. Aldus cum aliis, *sumsit.* Perizonius malit, *inscripsit.*

2. *Maxima totius Græciæ admiratione.* Ita Pigh. ex veteribus libris. Ante eum vulgo edebatur, *maximam totius Græciæ admirationem ac specimen*; sed Torrenio multo magis placet, *cum maxima Græciæ admiratione specimen;* quod præbuit Pythagoras se ipsum specimen scientiæ multiplicis, dum ostendit quam varia et multiplex in ipso esset scientia.

3. *Italiæ.* Vid. Justin. XX, 4.

4. *Studiorum.* Præsertim perversos mores luxuria perditorum cum uxore sua correxit, de quo Diogenes Laert. Ejus sapienter dicta habes ex parte in carmine aureo, ab ejus discipulis forsan composito, plura etiam in Plut. de puer. educ. 17. Pythagoras autem, quum annos XX Crotonæ egisset, Metapontum, oppidum in sinu Tarentino, migravit ibique decessit; cujus tanta admiratio fuit, ut domum ejus quasi templum haberent eumque Deum. Sed de ejus morte plurimæ exstant sententiæ, exempli gratia, eum in agro fabis consito cum XL discipulis interemptum.

5. *Cinerum.* Nonnulli *civium.* Sed *cineres Pythagoræ* quum peregrini essent Metaponti, videtur *suos cineres*, id est, cineres civium suorum, Pythagoræ cineribus opposuisse, ut pergat ad rogum ejus alludere. — *Monumento.* Sensus: plus celebritatis habet Metapontus ex monumento Pythagoræ peregrini, quam ullius civium suorum.

6. *Plato.* Laert. in vit.; Cicer. in Brut. 31; de Fin. V, 29; Quintilian. XI, 10, 17. — *Socratem.* Præcipuum tantum præceptorem nominat: sed audivit Plato etiam Cra-

ingenii quoque divina instructus abundantia, quum omnium jam mortalium sapientissimus [1] haberetur, eo quidem usque, ut si ipse Jupiter cælo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundia usurus videretur: Ægyptum peragravit, dum [2] a sacerdotibus ejus gentis geometriæ multiplices numeros, atque cælestium observationum rationem percipit. Quoque tempore a studiosis juvenibus certatim Athenæ Platonem doctorem quærentibus petebantur, ipse Nili fluminis inexplicabiles [3] ripas, vastissimosque campos, effusam barbariem, et flexuosos fossarum ambitus, Ægyptiorum senum discipulus lustrabat. Quo minus miror, eum in Italiam transgressum, ut ab Archyta Tarenti, a Timæo, et Arione, et Echecrate Locris, Pythagoræ præcepta et instituta acciperet; tanta enim vis, tanta copia literarum undique colligenda erat, ut invicem per totum terrarum orbem dispergi et dilatari posset. Altero etiam et octogesimo anno decedens, sub capite Sophronis [4] mi-

tylum et Hermogenem, Euclidem, Theodorum mathematicum et Ægyptiorum philosophos.

1. *Sapientissimus*. Sic enim Apollo Delphicus de eo judicavit.

2. *Dum*. Pleræque ante Pigh. editiones *ubi*. Guyetus *dum* explicat, *usque*, *ut*. Torrenius putat accipiendum, *peragravit Ægyptum dum percipit*, id est, *dum dat operam percipiendo*. Quod Kappio non placet. Putat veram lectionem esse *dum autem*; nempe ante *dum* ponendam esse distinctionem maximam; *dum esse*, eo ipso tempore quo. Post *percipit* ponit comma aut semicolon, ita ut *quoque tempore* cum prioribus jungatur et explicetur *et eo tempore quo*; tandem post *petebantur* ponit colon. Legit ergo: *Dum autem.... percipit; quoque tempore.... petebantur, ipse*. — *Geometriæ*. Quæ propterea quod Ægyptus singulis annis a Nilo mergeretur, ad dignoscendos agrorum fines ibi potissimum floruit.

3. *Inexplicabiles*. Quod veteres fontes Nili, teste Herodoto, reperire non poterant. Feliciores hac in re Jacobus Brucius Anglus, et qui illum in istis indagandis sunt sequnti. Vid. Vaillantii descriptionem Africæ. — *Effusam*. I. e. spatiosissimas Ægypti terras a barbaris habitatas. — *Fossarum*. Ægyptum *fossarum* plenam, Nili superfluas aquarum inundationes recipientium, constat præcipue e Justino. Et olim jam tentatum dicitur, quod hodie intentant, undas rubri et mediterranei maris consociare.

4. *Sophronis*. Sophron fuit mimographus, uti testantur Diog. Laert. et Suidas.

mos habuisse fertur; sic ne extrema quidem ejus hora agitatione studii vacua fuit.

4. At Democritus[1], quum divitiis censeri posset, quæ tantæ fuerunt, ut pater ejus Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit, quo magis vacuo animo studiis literarum esset operatùs, parva admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donavit. Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam et exercendam doctrinam conferens, ignotus illi urbi vixit: quod ipse in quodam volumine testatur. Stupet mens admiratione tantæ industriæ, et jam transit alio.

5. Carneades[2] laboriosus et diuturnus sapientiæ miles: siquidem nonaginta expletis annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit. Ita se mirificum doctrinæ operibus addixerat, ut, quum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur; sed eum[3] Melissa, quam uxoris loco ha-

1. *Democritus*. Abderites. Vid. Ælian. IV, 20. Diog. Laert. IX, 34. — *Pater*. Varia referuntur ejus nomina: Hegesistratus, Athenocritus, Damasippus. — *Ex facili*. Sine molestia. IV, 8, 1; Tacit. Ag. 15, 2; Sallust. Cat. 27. — *Operatus*. Pro: *operaretur*. Vid. VII, 3, 6; VII, 4, 5. Perizon. conjicit *operaturus*. — *Patriæ*. Juxta alios fratribus suis substantiam partitus est, exigua parte sibi retenta, qua peregre proficisci posset. Reversus in patriam, cellulam in horto sibi elegit ibique se inclusit, ut a nemine interpellatus naturæ contemplandæ operam dare posset. Quum materiæ satis præberet Abdera ridendo, Juvenalis de eo refert: « *Perpetuo risu pulmonem agitare solebat.* » Cives igitur sui insanire eum putantes, advocarunt Hippocratem, ad eum sanandum, qui cognita viri sapientia, ipsos cives helleboro cerebrum purgare jussit. Vid. Fabric. Bibl. gr. vol. II, pag. 608-643. Plures ejus miras sententias, e. c. de atomis, assumpsit Epicurus. Vid. Cicer. de N. D. I. Obiit CIX ætatis anno.

2. *Carneades*. Cyrenæus philosophus, Stoicorum discipulus. Cic. Acad. I.

3. *Eum*. Hanc vocem retinent scripti codd. Perizonius tamen malit *ei*. Torrenius vero conjicit *eam* scilicet manum Carneadis, quod illi bene convenire videtur cum sequentibus, *necessariis usibus aptabat*. Recte enim *dextra alterius ab altero necessariis aptari* videtur dici, cujus dex-

bebat, temperato inter studia non interpellandi, sed inediæ succurrendi, officio, dexteram suam necessariis usibus aptabat. Ergo animo tantummodo vita fruebatur; corpore vero quasi alieno et supervacuo circumdatus erat. Idem cum Chrysippo [1] disputaturus, helleboro se ante purgabat, ad exprimendum [2] ingenium suum attentius, et illius refellendum acrius; quas potiones industria solidæ laudis cupidis efficit appetendas.

6. Quali porro studio Anaxagoram [3] flagrasse credimus? qui quum e diutina peregrinatione [4] patriam repetisset, possessionesque desertas vidisset, *Non essem*, inquit, *ego salvus, nisi istæ periissent;* vocem petitæ sapientiæ compotem; nam, si prædiorum potius, quam ingenii, culturæ vacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos rediisset.

7. Archimedis [5] quoque fructuosam industriam fuisse

tra mensæ ab altero admovetur; vel potius, quum alter subinde, ut cibum capiat et manum ad mensam porrigat, admonetur. Kappius suspicatur Valerium potius scripsisse *enim*.

1. *Chrysippo*. Gell. XVII, 15. Plin. XXV, 5. Pedibus eo in Vorstii sententiam, et in hoc errasse Valerium. Quum enim Chrysippus floruerit ann. m. 3703-76, Carneades autem ann. m. 3829 inter Atheniensium legatos Romæ fuerit, vix cum isto eum disputasse credere possumus. Gellius atque Plin. l. c. memorant, Carneadem helleboro se purgasse, quum libris Zenonis respondere vellet. Inprimis albo, quod ad Anticyram optimum nascebatur, helleboro usos esse studiorum gratia, ut, quæ commentarentur, acrius perspicerent, Plin. XXV, 13, testatur.

2. *Exprimendum*. Ad explicandam vim ingenii.

3. *Anaxagoram*. Vid. Platon. in Hippia majore; Ælian. VIII, 11. Anaxagoras cuidam dicenti, patriam sibi curæ non esse: « immo, inquit, cura patriæ mihi maxima est, » et digitum extendit in cælum, ostendens illam sibi veram esse patriam. Impietatis semel a Cleomene accusatus, quod solem, quem Athenienses colebant, candentem laminam diceret et penitus ignitam, defensus a Pericle discipulo, quinque talentis et exsilio multatus fuit. De cujus morte vid. Laert.

4. *E diutina peregrinatione*. Nonnulli, *post diutinam peregrinationem*. Sed *e* et *ex* pro *post* usurpari notum est.

5. *Archimedis*. A. U. 541; Liv. XXV; Plut. Marcell.; C. de Fin. V, et Verr. VI; Silius, XIV; Plin. VII;

dicerem, nisi eadem illi et dedisset vitam, et abstulisset. Captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus ejus multum ac diu victoriam suam inhibitam senserat: eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur, edixit; pæne tantum gloriæ in Archimede servato, quantum in oppressis Syracusis, reponens. At is, dum animo et oculis in terram defixis formas describit, militi, qui prædandi gratia domum irruperat, strictoque super caput gladio, *quisnam esset*, interrogabat, propter nimiam cupiditatem investigandi quod requirebat, nomen suum indicare non potuit; sed protracto manibus pulvere [1], *Noli*, inquit, *obsecro*, *istum*[2] *disturbare* : ac perinde quasi negligens imperii victoris, obtruncatus, sanguine suo artis suæ lineamenta confudit: quo accidit, ut propter idem studium modo donaretur vita, modo spoliaretur [3].

8. Socratem [4] etiam constat ætate provectum fidibus tractandis operam dare cœpisse, satius judicantem ejus artis usum sero, quam nunquam percipere; et quantula Socrati accessio ista futura scientiæ erat? sed pertinax hominis industria, tantis doctrinæ suæ divitiis etiam musicæ rationis vilissimum [5] elementum accedere voluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit se locupletissimum.

Legatur etiam de Archimede ejusque scriptis Fabricii Biblioth. græc. edit. Harles. vol. IV, p. 170-191.

1. *Pulvere*. In quo figuras suas, seu formas metricas designabat.

2. *Istum*. Pulverem, non *circulum*, ut quidam receperunt. Formas metricas traxisse eum in pulvere scribunt Livius et Plutarchus, non determinate circulos.

3. *Spoliaretur*. Cicero demum ejus sepulcrum detexit.

4. *Socratem*. Vid. Plat. in Euthyd.; Cic. in Cat. 8. Socrates, cum omnium pæne rerum jamdum cognitarum scientiam esset complexus, musicæ quoque vacare non erubuit in provectiore ætate, ut nihil suis virtutibus deesse videretur. Hæc quoque ejus causa narratur: quum in convivio a quodam, ut caneret fidibus, invitaretur, se nescire respondit: quod a nonnullis risu exceptum, ad musicam perdiscendam eum incitavit. *Fides* autem chorda est in cithara vel lyra aliove instrumento musico extensa.

5. *Vilissimum*. Prima rudimenta

9. Atque ut longæ et felicis industriæ quasi in unum acervum exempla redigamus, Isocrates nobilissimum librum, qui inscribitur Παναθηναϊκὸς [1], quartum et nonagesimum annum agens, ita ut ipse significat, composuit, opus ardentis spiritus plenum; ex quo apparet, senescentibus membris eruditorum, intus animos industriæ beneficio florem juventæ retinere; neque hoc stilo terminos vitæ suæ clausit [2]; namque admirationis ejus fructum quinquennio percepit.

10. Citerioris [3] ætatis metas, sed non parvi tamen spatii, Chrysippi vivacitas flexit; nam octogesimo anno cœptum [4], undequadragesimum λογικῶν exactissimæ subtilitatis volumen reliquit: cujus studium in tradendis ingenii sui monumentis tantum operæ laborisque sustinuit, ut ad ea, quæ scripsit, penitus cognoscenda, longa vita sit opus.

1. Παναθηναϊκός. Vid. Cic. in Cat. Panathenaicum, totius Græciæ et inprimis Athenarum gesta laudesque continentem et studia urbis, tanta scientia constat esse refertum, ut admirarentur omnes, in tanta senectute ingenii vires tantum valuisse. Ea est vis temperantiæ et moderatæ vitæ, ut animus cum corpore non senescat.

2. *Clausit.* Nam vixit postea quinquennium. Ipsum librum Isocratis *admirationem* vocat, quod omnes eum librum, ut a grandævo scriptum, sapientia summa tamen refertum admirarentur. Sic, quod amamus, *amor*, quod odio persequimur, *odium*, de quo gaudemus, *gaudium* nostrum appellatur. — *Percepit.* Octavum et nonagesimum annum illum implevisse tradit Quint. Inst. III, 1.

3. *Citerioris.* Ad breviorem vitæ terminum pervenit. Vid. Laert. et Suidas. *Citerior ætas* est brevior. *Meta* est terminus, *metas flectere* est metaphorice usurpatum. Nam proprie *metas flectere* dicebantur, qui in certamine olympico, quum ad metam pervenissent, circa eam currum flectebant. — *Chrysippi.* Tanti acuminis fuisse dicitur, ut testentur quidam Jovem ipsum, si in terras descendisset, acutioribus ejus argumentis vix resistere potuisse. Septingenta volumina teste Laertio reliquit; sed plurima ex aliis libris recepit, ita ut dicerent: si quis tolleret de Chrysippi libris aliena, charta ei vacua relinqueretur.

4. *Nam octogesimo anno cœptum...* Sensus est, Chrysippum octogesimo demum vitæ anno cœpisse scribere libros λογικῶν, quorum triginta novem moriens reliquit. Hinc non mirum est, eum tot libros scripsisse, quemadmodum Diogenes Laertius testatur.

11. Te quoque, Cleanthe[1], tam laboriose haurientem, et tam pertinaciter tradentem sapientiam, numen ipsius industriæ suspexit, quum adolescentem quæstu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam tuam sustentantem, diurno Chrysippi præceptis percipiendis vacantem, eumdemque ad undecentesimum annum attenta cura erudientem auditores tuos, videret; duplici enim labore unius seculi spatium occupasti; incertum reddendo, discipulusne an præceptor esses laudabilior.

12. Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen[2] habuit, tam benigne mirifica illi opera sua exhibendo, quam illa operibus ejus tempora liberaliter subministrando: prope enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitum ad mortem Œdipode Coloneo scripto: qua sola fabula omnium ejusdem studii poetarum præripere gloriam potuit; idque ignotum esse posteris filius Sophoclis Iophon[3] noluit, sepulcro patris, quæ retuli, insculpendo.

13. Simonides[4] vero poeta *octogesimo anno et docuisse se carmina, et in eorum certamen descendisse* ipse gloriatur; nec fuit iniquum, illum voluptatem ex ingenio suo diu percipere, quum eam omni ævo fruendam traditurus esset.

1. *Cleanthe*. Vid. Lucian.; Cicer. Acad. I. — *Numen*. Divina virtus ejus industriæ. — *Extrahendæ aquæ*. Quod vilissimorum tantum hominum fuit. Ælian. IX, 16. Laertius potius Chrysippum discipulum refert Cleanthis. Vid. Cic. de Fat. 7. Dedit forsan et Zenoni operam. — *Chrysippi*. Vid. Lucian.; Macrob.; Cic. in Cat. 7. Infr. IX, 12, 5. Supr. IV, 3, ext. 2.

2. *Certamen*. Tanta fuit industria, ut cum ipsa rerum natura certasse videatur. — *Mirifica illi opera*. Ex Aldo. Pighius edidit *magnifica illa opera*, sed monente Vorstio, *illi* legendum esse vox *exhibendo* ostendit, quippe quæ tertium casum requirit omnino.

3. *Iophon*. Quod nomen e Suida restituit Pighius. Alii Sophon. Male.

4. *Simonides*. Vid. Suidas. Vixit ann. 89. Simonides poeta fuit lyricus et artis mnemonicæ inventor. Vid. supr. de somn. et miracul. — *Certamen*. Id fuit inter alia, cur Græci adeo excellerent, quod coram tot gentibus græcis inter doctos

14. Jam Solon[1] quanta industria flagraverit, et versibus complexus est, quibus significat se quotidie aliquid addiscentem senescere, et supremo vitæ die confirmavit: qui assidentibus amicis, et quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis jam pressum caput erexit[2]; interrogatusque, *quapropter id fecisset*, respondit : *Ut quum istud, quidquid est, de quo disputatis, percepero, moriar*. Migrasset profecto ex hominibus inertia, si eo animo vitam ingrederentur, quo eam Solon egressus est.

15. Quam porro industrius Themistocles[3], qui maximarum rerum cura districtus, omnium tamen civium suorum nomina memoria comprehendit, per summamque iniquitatem patria pulsus, et ad Xerxem, quem paulo ante devicerat, confugere coactus, priusquam in conspectum ejus veniret, persico sermoni se assuefecit; ut labore parta commendatione, regiis auribus familiarem et assuetum sonum vocis adhiberet[4]!

16. Cujus utriusque industriæ laudem duo reges partiti sunt, Cyrus[5] omnium militum suorum nomina, Mithridates duarum et viginti gentium, quæ sub regno ejus

tanta esset artium æmulatio et certamen, nec solum athletarum de viribus corporis.

1. *Solon*. Cic. in Cat. 8; Stobæus serm. 29; Plato in Lachete et de rep. 7. Apud Platonem legitur, Solonem etiam carminibus præstitisse illa ætate. — *Versibus*. Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

2. *Erexit*. Pigh. edidit *erigeret*, quod ei faciendum videbatur, ut melius responderet voci *quum*, pro qua, ut MSS. plerique habent, *qui* Torrenius maluit et reposuit.

3. *Themistocles*. Cic. in Cat. 7; Plut. et Nepos in vit.; Quintil. XI, 2, 50. Thucyd. I, 38. — *In conspectum*. Alii *in conspectu*, quod non minus recte dicitur. Motus ad locum casu etiam sexto, ut contra motus in loco casu etiam quarto, designatur. — *Sermone*. Quidam *sermoni*. Sed vid. Cæs. de Bello Gall. IV, 1, et quos Duker citat ad Flor. I, 1, 7.

4. *Adhiberet*. I. e. exhiberet. Curt. IX, 2, 25; Plin. I, ep. 25. Cuique genti sua lingua in pretio. Hinc nota : animos exterorum haud facile devinciri, nisi vinculo illo humanæ societatis, lingua dico conciliatrice.

5. *Cyrus*. Vid. Plin. VII, 24; XXV, 2; Xenoph. Cyropæd. V; Quint. XI, 2, 50; Solin. 7; Aurel. Vict. 76; Gell. XVII, 17; Amm.

erant, linguas ediscendo: ille, ut sine monitore[1] exercitum salutaret; hic, ut eos, quibus imperabat, sine interprete alloqui posset.

CAPUT VIII.

De otio laudato in Romanis.

1. P. Æmiliano et C. Lælio. — 2. Q. Mucio Scævola augure.

De otio laudato in Externis.

1. Socrate atheniensi. — 2. Achille Homerico.

DE OTIO LAUDATO IN ROMANIS.

Otium, quod industriæ et studio maxime contrarium videtur, præcipue subnecti debet, non quo[2] evanescit virtus, sed quo recreatur: alterum enim etiam inertibus vitandum; alterum strenuis quoque interdum appetendum est: illis, ne proprie[3] vitam inertem exigant; his, ut tempestiva laboris intermissione ad laborandum fiant vegetiores.

1. Par veræ amicitiæ clarissimum Scipio et Lælius[4],

Marc. XVI, 5. Quod narrat Noster de Cyro minore, parum credibile, quamvis et Plinius eadem habeat. Sufficit si τῶν ὑφ' αὐτοῦ ἡγεμόνων τὰ ὀνόματα sciverit : id quod ex Xenoph. Cyrop. colligi videtur.

1. *Monitore*. Imperatores nominum suggestores habere consueverant, qui nomina militum eorum auribus insererent, quo blande nominatim milites appellando, eorum animos sibi maxime conciliarent. Hos monitores Romani nomenclatores appellabant. Vid. Mureti varias lection.

2. *Non quo...sed quo.* Id est, non illud genus otii, quo evanescit virtus, sed potius illud, quo virtus recreatur.

3. *Proprie*. *Proprie* ponitur pro *prorsus*, *plane*. — *Inertem*. Plures MSS. *enervem*. Ultrajectinus *inervem*. Alii codices, *inertia*. Torrenio facile Kappius concesserit *enervem* in *inertem* a librariis mutatum videri, at Torrenii explicatio, *ne exigant vitam, quæ proprio nomine enervis vocanda sit*, illi non placet.

4. *Lælius.* Cic de Or. II, 6; Hor. II, Sat. 1. — *Remissioni.* MSS. *remis-*

cum amoris vinculo, tum etiam omnium virtutum inter se juncti societate, ut actuosæ vitæ iter æquali gradu exsequebantur, ita animi quoque remissioni communiter acquiescebant; constat namque, eos Caietæ et Laurenti vagos [1] litoribus conchulas et calculos lectitasse; idque se L. Crassus ex socero suo Q. Scævola, qui gener Lælii fuit, audisse sæpenumero prædicavit.

2. Scævola [2] autem quietæ remissionis eorum certissimus testis, optime pila lusisse traditur; quia videlicet ad hoc diverticulum [3] animum suum, forensibus ministeriis fatigatum, transferre solebat: alveo [4] quoque et calculis vacasse interdum dicitur, quum bene ac diu jura civium, et cærimonias deorum ordinasset; ut enim in rebus seriis Scævolam, ita et in scenicis [5] lusibus hominem agebat: quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.

sione. Hoc est, in remissione animi, quum animum remitterent. Sic VIII, 13, ext. 1, *senectute* pro *in senectute*. Sed et VIII, 9, ext. 2, *oratione* pro *orationi*.

1. *Vagos*. Scilicet Scipionem et Lælium. *Vagos* invenitur in Copes. in septem aliis MSS. et multis editionibus. Pigh. cum Colero et Vorstio edidit *vagas*; ast quomodo, inquit Perizonius, conchulæ poterant *vagæ* dici, quum in sicco litore jacerent? Hinc *vagos* in textum recepit Torrenius, quem Kappius sequi non dubitavit. — *Calculos*. Alii: *umbilicos*, quod etiam Cicero habet, id est, parvos rotundos calculos nitidiores, quibus et olim libri decorabantur; vid. Martial. I. Alii: *obeliscos*, ab obelorum similitudine dictos teretes et oblongos lapillos. — *Crassus*, orator, Scævolæ gener.

2 *Scævola*. Vid. Quintil. XI, 2, 38. Hic Scævola non fuit Q. cujus antea mentio facta, sed pontifex.

3. *Diverticulum*. Oblectamentum.

4. *Alveo*. *Alveus lusorius* fuit vas, in quo ludentes tesseras jaciebant. Vid. Vitruv. V. Plinius XXXVII, 2, refert, Pompeium triumpho tertio de Asia et Ponto inter solennia alveum e gemmis mira magnitudine detulisse cum tesseris, quæ a talis diversæ erant. Vid. Ernesti clav. in *talus*. Aleæ lusus juvenibus Saturnalibus permissus, reliquo vero anni tempore vetitus erat. Vid. Cic. Cat. 16.

5. *Scenicis*. Ludicris. Ita plane habet ed. vet. Vestigia hujus lectionis occurrunt in multis MSS. quorum alii *in scenis*, alii *in scæis*, *in scurrilibus*, habent, unde viri docti conjecerunt *in seriis*, *in senilibus*; *in cœnis*, *in turrilibus*, etc. Quæ conjecturæ Kappio futiles videntur.

DE OTIO LAUDATO IN EXTERNIS.

1. Idque vidit, cui nulla pars sapientiæ obscura fuit, Socrates[1]; ideoque non erubuit tunc, quum interposita arundine[2] cruribus suis, cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade risus est.

2. Homerus quoque, ingenii cælestis vates, non aliud sensit, vehementissimis Achillis[3] manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur leni pacis studio relaxaret.

CAPUT IX.

De vi eloquentiæ in Romanis.

1. M. Valerio Max. dict. — 2. M. Antonio oratore. — 3. C. Aurelio Cotta.

De vi eloquentiæ in Externis.

1. Pisistrato atheniensi. — 2. Pericle atheniensi. — 3. Hegesia cyrenaico.

DE VI ELOQUENTIÆ IN ROMANIS.

Potentiam[4] vero eloquentiæ etsi plurimum valere animadvertimus, tamen sub propriis exemplis, quo scilicet vires ejus testatiores fiant, recognosci convenit.

1. Regibus exactis, plebs dissidens a patribus, juxta ripam fluminis Anienis in colle, qui *Sacer* appellatur, armata consedit: eratque non solum deformis, sed etiam miserrimus reipublicæ status, a capite ejus cætera parte corporis pestifera seditione divisa : ac ni Valerii[5] subve-

Vulgo editum est *in scurrilibus*, pro quo idem vir doctus lectionem editionis veteris *in scenicis* revocavit.

1. *Socrates*. Vid. Ælian. XII, 15. Plut. Agesil. 9.

2. *Arundine*. Quod vocat *equitare in arundine longa* Horat. II, sat. 3.

3. *Achillis*. Vide Iliadem et Ovidium.

4. *Potentiam*. De qua Cic. de N. D. II.

5. *Valerii*. A. U. 259. Liv. II, 32; Dionys. VI, 49; Plut. Pomp.; Zonaras Hist. Rom.

nisset eloquentia, spes tanti imperii in ipso pæne ortu suo corruisset; is namque populum nova et insolita libertate temere gaudentem, oratione ad meliora et saniora consilia revocatum, senatui subjecit, id est, urbem urbi[1] junxit; verbis ergo facundis ira, consternatio, arma[2] cesserunt.

2. Quæ etiam Marianos Cinnanosque[3] mucrones, civilis profundendi sanguinis cupiditate furentes, inhibuerunt; missi enim a sævissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone ejus obstupefacti, destrictos jam et vibrantes gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Quibus digressis, P. Antronius (is enim solus in ambitu[4] expers Antonianæ facundiæ steterat) crudele imperium truculento ministerio peregit. Quam disertum igitur eum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit, qui modo vocem ejus ad aures suas voluit admittere?

3. Divus quoque Julius[5], quam cælestis numinis, tam etiam humani ingenii perfectissimum columen, vim facundiæ proprie expressit, dicendo in accusatione Cn. Dolabellæ, quem reum egit, *extorqueri sibi causam optimam C. Cottæ patrocinio*; siquidem maxima tunc eloquentia questa est[6]: cujus facta mentione, quoniam domesticum

1. *Urbi.* Livius eum Menenium Agrippam vocat. Sed eodem tempore etiam Valerius vixit, qui et dictator creatus fuit. Liv. II, 20. *Urbem urbi junxit.* Unde Varro IV, eam civitatem *bicipitem* adpellat.

2. *Arma.* Pigh. cum aliis *et arma.* Contra libros.

3. *Cinnanos.* A. U. 666. Appian. Civ. I; Vellei. II, 22; Lucan. II; Cic. de Orat. III, 3; Valer. IX, 2, 2.

4. *Ambitu.* Sive circulo: non audiverat vocem eloquentis Antonii.

5. *Julius.* An. U. 676. Sueton. Cæs. 4: Cic. Brut. 92. — *Columen.* In utroque summus, armis et eloquentia. — *Proprie.* Sic cum Perizonio legas, non cum MSS. quibusdam *propriæ.* Nam *propriam* facundiam non laudavit, dicendo *alterius facundia sibi causam optimam extorqueri.* Sed *proprie expressit vim facundiæ;* quia illius partes *propriæ* sunt reos defendere vel accusare. Vid. Quint. II, 16; Vell. II, 9. — *Dolabellæ.* Quem e Sicilia, qui prætor præfuerat, repetundarum Cæsar postulaverat.

6. *Maxima tunc eloquentia questa est.* Sic magna pars MSS. et edd.

nullum majus adjecerim exemplum, peregrinandum est[1].

DE VI ELOQUENTIÆ IN EXTERNIS.

1. Pisistratus[2] dicendo tantum valuisse traditus est, ut ei Athenienses regium imperium oratione capti permitterent, quum præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur; sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores: quo evenit, ut alioqui prudentissima civitas libertati servitutem præferret.

2. Pericles[3] autem felicissimis naturæ incrementis, sub Anaxagora præceptore summo studio perpolitus et instructus, liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis imposuit; egit enim ille urbem, et versavit arbitrio suo: quumque adversus voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominus et popularis ejus vox erat: itaque veteris comœdiæ maledica[4] lingua, quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen *in labris ejus hominis melle dulciorem leporem* fatebatur *habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos*[5] *quosdam relin-*

vetustarum. Nec aliter legendum putat Torrenius, etsi lectionem Pighianam, *maxima tunc vis eloquentiæ questa est*, in textu retinuerit. Alii *m. t. eloquentiæ ei laus questa est*, vel *quæsita est. Maxima eloquentia* est, interpretante Torrenio, Cæsar ipse, quem veteres uno ore affirmabant in eloquentia ad principatum perventurum fuisse, nisi ab illis studiis avocatus fuisset bellicis rebus.

1. *Peregrinandum*. Ad externa exempla transeundum.

2. *Pisistratus*. Justin. II; Plut. in Sol.; Ælian. VIII; Herodot. I; Diodor. XIII. — *Imperium*. Quum victis a se Megarensibus plebis gratiam esset nactus, verberibus voluntariis domi laceratus, advocata concione de crudelitate principum, a quibus hoc se passum simulabat, questus est. Ita obtinuit ad custodiam corporis satellitum auxilium, quo tyrannidem occupavit. Vid. Cicer. III, de Oratore.

3. *Pericles*. Vid. Plut. in vit.; Cicer. in Brut.; Quint. XII, 10, 24 et 5; XII, 2, 22; Augustin. de C. D. II, 9. — *Felicissimis naturæ incrementis*. Audacter, pro *dotibus naturæ*. Virg. Eclog. IV, 49.

4. *Maledica*. Eupolis comicus publice in scena Periclem perstrinxit. De comœdiæ acerbitate vid. Horat. Serm. I, 4, 4.

5. *Aculeos*. Elegans allusio ad

qui prædicabat. Fertur quidam, quum admodum senex primæ concioni Periclis adolescentuli interesset, idemque juvenis Pisistratum jam decrepitum concionantem audisset, non temperasse sibi quo minus exclamaret, *Caveri illum civem oportere, quod Pisistrati orationi simillima ejus esset oratio;* nec hominem aut æstimatio eloquii, aut morum augurium[1] fefellit. Quid enim inter Pisistratum et Periclem interfuit, nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit?

3. Quantum eloquentia valuisse Hegesiam[2], cyrenaicum philosophum, arbitramur? qui sic mala vitæ repræsentabat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ[3] mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret? Ideoque a rege Ptolemæo ulterius hac de re disserere prohibitus est.

CAPUT X.

De pronuntiatione et apto motu corporis in Romanis.

1. C. Graccho. — 2. Q. Hortensio. — 3. M. Tullio.

De pronuntiatione et apto motu corporis in Externis.

Demosthene atheniensi.

DE PRONUNTIATIONE ET APTO MOTU CORPORIS IN ROMANIS.

Eloquentiæ autem ornamenta in pronuntiatione apta, et convenienti motu[4] corporis consistunt. Quibus[5] quum

apes : nam quia mellis meminit, recte in metaphora persistens aculeos addit.

1. *Augurium.* Omen et divinatio.

2. *Hegesiam.* Laertius Aristipp.; Cic. Tusc. I, 34. — *Cyrenaicum.* Quorum auctor Aristippus, qui summum bonum e voluptate petiit.

3. *Voluntariæ mortis oppetendæ.* Ed. vet. cum Ultr. prim. *voluntariam.* Eadem cum plerisque MSS. *appetendæ.*

4. *Motu.* Pronuntiatio est vocis, vultus et gestus moderatio cum venustate.

5. *Quibus.* Aliquot MSS. *qui.* Male.

se instruxit, tribus modis homines aggreditur, animos eorum ipsa invadendo, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo.

1. Sed ut propositi fides in personis illustribus exhibeatur, C. Gracchus[1] eloquentiæ, quam propositi, felicioris adolescens, quoniam flagrantissimo ingenio, quum optime rempublicam tueri posset, perturbare impie maluit; quoties apud populum concionatus est, servum post se musicæ artis peritum habuit, qui occulte eburnea fistula pronuntiationis ejus modos formabat; aut nimis remissos excitando, aut plus justo concitatos revocando: quia ipsum[2] calor atque impetus actionis attentum hujusce temperamenti æstimatorem esse non patiebatur.

2. Q. autem Hortensius[3] plurimum in corporis decoro motu repositum credens, pæne plus studii in eodem elaborando, quam in ipsa eloquentia affectanda impendit; itaque nescires, utrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur: sic verbis oratoriis adspectus, et rursus adspectui verba serviebant. Itaque constat, Æsopum[4] Rosciumque, ludicræ artis peritissimos viros, illo causas agente, in corona frequenter adstitisse, ut foro petitos[5] gestus in scenam referrent.

Nam de eloquentia ipsa hoc dicitur, non de oratore. — *Tribus*. Elocutione, sono vocis et motu corporis; priora delectant aures, posterius oculos.

1. *Gracchus*. A. U. 630. Gell. I, 11; Quint. I, 10, 27; Cic. de Or. III, 60.

2. *Ipsum*. Reddit rationem, cur monitore tibicine uteretur: quia interdum vel accusando, vel detestando, ira vel alio animi impetu commotus, servare modum non reminiscebatur.

3. *Hortensius*. Gell. I, 5; Macrob. Saturn. III, 13; Quint. lib. XI, cap. 3, S, 8.

4. *Æsopum*. Æsopus tragœdiarum, Roscius vero comœdiarum actor præstantissimus fuit. Vid. infr. IX, 1, 2. Roscius, quum senex esset mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem visus est, omnino mori non debuisse. Vid. Cic. pro Arch.

5. *Foro petitos gestus*. Leidens. prim. *foro positos gestus*. Sed tamen Torrenius *petitos* malit, quia melius opponatur τῷ referre, quod procul dubio spectaverit auctor.

3. Jam M. Cicero quantum in utraque re, de qua loquimur, momenti sit, oratione[1] quam pro Gallio habuit, significavit, M. Calidio accusatori exprobrando, quod *præparatum sibi a reo venenum, testibus, chirographis, quæstionibus se probaturum* affirmans, remisso vultu, et languida voce, et soluto genere orationis usus esset: pariterque et oratoris vitium detexit, et causæ periclitantis argumentum adjecit, totum hunc locum ita claudendo: *Tu istud, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres*[2]?

DE PRONUNTIATIONE ET APTO MOTU CORPORIS IN EXTERNIS.

Consentaneum huic Demosthenis judicium[3]: qui quum interrogaretur, *quidnam esset in dicendo efficacissimum*, respondit, ἡ ὑπόκρισις. Iterum deinde et tertio interpellatus, idem dixit, pæne totum se illi debere confitendo: recte itaque Æschines[4], quum propter judicialem igno-

1. *Oratione*. Cujus fragmenta tantum supersunt, e Quintiliano aliisque collecta a viris doctis. An. U. 687. Vid. Ciceron. in Brut. 79; Quint. XI, 3; Euseb. num. 1960; Plin. VII, 30. — *Utraque res*, sunt sonus vocis et motus corporis. — *Soluto*. Non intensa oratione, quemadmodum rei atrocitas exegit. — *Causæ periclitantis argumentum adjecit*. *Causa periclitantis* est causa rei, *Gallii* nempe. Perizon. et Torrenius *periclitantis* ad *causæ* referunt: verum *periclitantis* non est adjectivum τοῦ *causæ*, sed referendum potius est ad substantivum *Gallii*, quod subauditur, neque opus est ut *periclitanti* legatur. Sensus est: Cicero aliis argumentis, quibus causam *periclitantis* Gallii tuitus est, adjecit etiam vitium oratoris.

2. *Ageres*. Sensus est: si vera essent, quæ Calidius profert, majore cum vehementia ac ardore protulisset.

3. *Judicium*. Vid. supra cit. Plut. X rhetor.; Gell. VII. — ὑπόκρισις. Simulatio vocis et gestus, id est, pronuntiatio et decens motus. Apud Græcos histriones ὑποκριταὶ nominantur, quia personam alienam in scena simulant. Hinc ad pronuntiationem et actionem oratorum etiam extenditur. Circumlocutio latina, *si nihil dixeris non optime scitum*, quam nonnulli MSS. habent, inepte addita est.

4. *Æschines*. Sunt, qui dicant, Æschinem mirantibus Rhodiis orationem Demosthenis, respondisse: Quid si audissetis belluam ipsam, sua lyra resonantem? Vid. Gellium Noct. Attic. lib. VII.

miniam, relictis Athenis, Rhodum petisset, atque ibi rogatu civitatis suam prius in Ctesiphontem, deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissima et suavissima voce recitasset, admirantibus cunctis utriusque voluminis[1] eloquentiam, sed aliquanto magis Demosthenis: *Quid si*, inquit, *ipsum audissetis!* Tantus orator, et modo tam infestus adversarius, sic inimici vim ardoremque dicendi suspexit, ut se scriptorum ejus parum idoneum lectorem esse prædicaret; expertus acerrimum oculorum vigorem, terribile vultus pondus, accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus; ergo etsi operi illius adjici nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest[2], quod legitur potius, quam auditur.

CAPUT XI.

De effectibus artium raris apud Romanos.

1. Astrologia C. Sulpicii Galli. — 2. Aruspicina Spurinæ.

De effectibus artium raris apud Externos.

1. Astrologia Periclis. — 2. Pictura Apellis et plastice Lysippi. — 3. Vulcano Alcamenis. — 4. Venere Praxitelis. — 5. Neptuno Euphranoris. — 6. Agamemnone Timantis. — 7. Equo Nealcis.

DE EFFECTIBUS ARTIUM RARIS APUD ROMANOS.

Effectus etiam artium recogniti[3] possunt aliquid afferre voluptatis: protinusque et quam utiliter excogitatæ sint,

1. *Voluminis*. Id est, orationis; hancque lectionem, quam nonnulli MSS. et editio Mog. habent, in textum Torrenius recepit, quum Pigh. Colerus et Vorst. edidissent *columinis*, id est, Demosthenis et Æschinis.

2. *Abest*. Vox, et vultus, et motus corporis.

3. *Recogniti possunt*. Editio vet.

patebit, et memoratu dignæ res lucido in loco reponentur, et labor in iis edendis suo fructu non carebit.

1. Sulpicii Galli maximum in omni genere literarum recipiendo studium plurimum reipublicæ profuit[1]; nam quum L. Paulli, bellum adversum regem Persen gerentis, legatus esset, ac serena nocte subito luna defecisset, eoque veluti diro quodam monstro perterritus exercitus noster, manus cum hoste conserendi fiduciam amisisset, de cæli ratione et siderum natura[2] peritissime disputando, alacrem eum in aciem misit: itaque illi inclytæ Paullianæ victoriæ liberales artes Galli aditum dederunt, quia nisi ille metum nostrorum militum vicisset, imperator [romanus[3]] vincere hostes non potuisset.

2. Spurinæ[4] quoque in consectandis deorum monitis efficacior scientia apparuit, quam urbs romana voluit. Prædixerat enim C. Cæsari, *ut proximos dies XXX quasi fatales caveret*, quorum ultimus erat idus Martiæ. Eo[5] quum forte mane uterque in domum Calvini Domitii ad officium convenisset, Cæsar Spurinæ, *Ecquid scis*, in-

Mog. et novem MSS. *recognosci posse;* unde Perizonius *recognosci potest*, quod et Torrenio placet.

1. *Profuit.* An. U. 580. Plin. II, 12; Front. I, 12; Cicer. in Cat.; Quint. I, 17; Livius, XLIV, 37. Olim rerum naturalium parum gnari eclipsin lunæ sæpe ostentum, quo deterrerentur, habebant. Sed apud Græcos Thales milesius, inter Rom. Gallus, qui astronomiæ operam dedit, primus defectus lunæ causas docuit, qua re etiam ad Paulli victoriam multum contulit. Eum post ea de re libellum edidisse, testatur Plin. loco laud.

2. *Siderum natura.* Quomodo per interpositionem terræ, solem inter et lunam, hæc a sole lumen mutuans, deficeret.

3. *Romanus.* Hæc vox abest a novem MSS. et tanto commodius ut, præcedente *nostrorum militum*, necessario intelligi debeat imperator romanus.

4. *Spurinæ.* An. U. 709. Plut. in Cæs.; supr. I, 6, 13. — *Monitis.* Tot conjuratorum consilium difficile latere potuit : forsan ad Spurinam aliquid rumoris penetravit, sive multis ex causis vir prudens suspicatus est insidias, quæ deinde divinum habuerunt monitum.

5. *Eo.* Scil. die, seu *mane* subst. Eo ipso die Cæsar XXIII vulneribus in curia est confossus.

quit, *idus Martias jam venisse?* et is, *Ecquid scis, illas nondum præteriisse?* Abjecerat alter timorem, tamquam exacto tempore suspecto: alter ne extremam quidem ejus partem periculo vacuam esse arbitratus est. Utinam haruspicem potius augurium, quam patriæ parentem securitas fefellisset!

DE EFFECTIBUS ARTIUM RARIS APUD EXTERNOS.

1. Sed ut alienigena[1] scrutemur, quum obscurato repente sole inusitatis perfusæ tenebris Athenæ sollicitudine agerentur, interitum sibi cælesti denuntiatione portendi credentes, Pericles processit in medium; et quæ a præceptore suo Anaxagora pertinentia ad solis et lunæ cursum acceperat, disseruit; nec ulterius trepidare cives suos vano metu passus est.

2. Quantum porro dignitatis a rege Alexandro tributum arti existimamus, qui se et pingi ab uno Apelle[2], et fingi a Lysippo tantummodo voluit?

3. Tenet visentes Athenas Vulcanus Alcamenis[3] manibus fabricatus; præter cætera enim perfectissimæ artis

1. *Alienigena.* Scilicet exempla. Harl. *Aliena.* Duo MSS. cum edit. Mog. et vet. *alienigenas*, scilic. gentes, ut Guyeto scribendum videbatur, præter rem. — *Agerentur.* Vid. Plut. Quintil. I, 17. Frontinus, lib. I, 11, narrat; in castra decidisse fulmen; quo quum terrerentur milites, Periclem lapidibus in conspectu omnium collisis, ignem excussisse, et docuisse, similiter attritu nubium excuti fulmen. Pro *agerentur* Lipsius mavult *angerentur.*

2. *Apelle.* Vid. Plut. de fortit. Alex.; Cic. ad Fam. V, 12; Plinius, VII, 37; Horat. Epp. II, 1, 239. Apelles, cous, ingenio et gratia præstantissimus. Laudant præcipue ejus Venerem, e mari exeuntem, quam postea Romam adductam Augustus dicavit in Cæsaris templo, cujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non potuit reperiri. Pinxit et Alexandrum M. fulmen tenentem in ephesiæ Dianæ templo sic, ut fulmen extra tabulam micare videretur. Inclytæ quoque sunt tres illæ lineæ, quarum tenuissima vicit Protogenem. Lysippus spirantes vultus atque ora simillima veris finxit, et teste Quintil. ad veritatem optime accessit. Ad DCX signorum opera effecisse dicitur.

3. *Alcamenis.* Qui inter Phidiæ æmulos refertur. Vid. Plin. XXXIV, 8; XXXVI, 5; Cicer. de N. D. I, 30.

in eo præcurrentia indicia, etiam illud mirantur, quod stat dissimulatæ claudicationis sub veste leviter vestigium repræsentans[1]; ut non tamquam exprobratum vitium, ita tamquam certam propriamque dei notam decore significans.

4. Cujus conjugem Praxiteles[2] in marmore quasi spirantem in templo Gnidiorum collocavit, propter pulchritudinem operis a libidinoso cujusdam complexu parum tutam. Quo excusabilior est error equi, qui visa pictura equæ, hinnitum edere coactus est; et canum latratus adspectu pictæ[3] canis incitatus; taurusque ad amorem et concubitum æneæ vaccæ Syracusis nimiæ similitudinis irritamento compulsus. Quid enim vacua rationis animalia arte decepta miremur, quum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis lineamentis excitatam videamus?

5. Cæterum natura quemadmodum sæpenumero æmulam virium suarum artem esse patitur, ita aliquando irritam fesso labore dimittit; quod summi artificis Euphranoris[4] manus senserunt; nam quum Athenis XII deos[5]

1. *Stat ..... repræsentans.* Plures MSS. et edd. *stans repræsentat*, quod Perizonius malit, ne duo participia tam propinquis in locis concurrant uni verbo connectenda. — *Ita tamquam.* Pigh. et Coler. *tamen.* Sed plerique *tamquam*, et amat Valerius tales repetitiones ejusdem verbi, ut Torrenius observavit.

2. *Praxiteles.* Ælian. IX, 39; II, 3; Plin. l. c., et XXXV, 10. *Conjux* Vulcani Venus est, cujus simulacrum toto orbe celebratum; quod ut viderent, multi Gnidum navigarunt. Gnidus, una e V civitatibus Doricæ Græciæ, ubi nobile fuit Veneris templum. — *Cujusdam.* Macarei Perinthii, teste Luciano. Id vero non Gnidi, sed in Samo accidisse, refert Athenæus : et alii inter quos ipse Plinius, duas Praxiteli tribuunt Veneres ab illo sculptas.

3. *Adspectu pictæ.* Leid. sec. *adspectu picte*, pro *pictæ*, ut solet ille pro *æ* habere *e* simplex. Itaque quum hic agatur de animalibus, quæ adspectu pictarum sui generis feminarum in venerem accenduntur, hoc adeo verum Torrenius arbitratus est, ut restituere non dubitaverit. Sic *canes mœstæ* Senec. Hipp. 1108. Cæteri omnes *picti.*

4. *Euphranoris.* Vid. Pausaniam Attic. XL; Plin. XXXV, 11, Euphranorem admirandum fecit, quod et cæteris optimis studiis inter præcipuos, pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. Quint. XII. — Corradus observat, Pausaniam hoc opus in Atticis tribuere Praxiteli.

5. *Deos.* Forsan *consentes*, sex a dextris, totidem a sinistris. — *Pe-*

pingeret, Neptuni imaginem quam poterat excellentissimis majestatis coloribus complexus est, perinde ac Jovis, aliquanto augustiorem repræsentaturus, sed omni impetu cogitationis in superiori opere absumpto, posteriores ejus conatus assurgere, quo tendebant, nequiverunt.

6. Quid, ille [1] alter æque nobilis pictor, luctuosum immolatæ Iphigeniæ sacrificium referens, quum Calchanta tristem, mœstum Ulyssem, clamantem Ajacem, lamentantem Menelaum circa aram statuisset, caput Agamemnonis involvendo, nonne summi mœroris acerbitatem arte exprimi non posse confessus est? Itaque pictura ejus, haruspicis, amicorum, et fratris lacrimis madet; patris fletum spectantis affectui æstimandum reliquit.

7. Atque, ut ejusdem studii adjiciam exemplum, præcipuæ artis pictor [2] equum ab exercitatione venientem, modo

rinde ac Jovis ..... repræsentaturus. Pinxerat jam Euphranor et complexus erat Neptunum excellentissimis majestatis coloribus, sed eo consilio, ut Jovem redderet magis etiam augustum et majestatis plenum, in quo ars illum defecit, quum in superiori opere, id est, Neptuno, omnem impetum cogitationis absumpsisset. Ita explicat Torrenius. At idem minus bene, judice Kappio, qui *perinde ac* mutandum in *deinde et* censet. Nam *perinde ac* est *similiter:* in animo habuerat Euphranor, Jovis imaginem tanta cura pingere, ut aliquanto augustior esset imagine Neptuni: quæ res eum fefellit. Guyeto *aliquanto augustiorem* addititia videntur. Immerito.

1. *Ille.* Timanthes, qui etiam Ajacem armorumque judicium pinxerat. Plin. XXXV, 10; Cic. Or. 22; Quint. II, 13; Ælianus, IX, 11. — *Sacrificium.* Rex Agamemnon Dianæ cervam ignarus occiderat. Irata dea, fluctibus et pestilentia sacrilegium ulta est. Quum autem ex oraculo Iphigeniæ sanguine placanda esset Diana, hæc virginis miserta, supposita cerva, virginem transtulit in regionem Tauricam, ubi tandem, Dianæ sacerdos, fratrem Orestem agnovit. Sic fabula. — *Ulyssem.* Qui per falsas cum Achille nuptias impetratam a matre Iphigeniam ad tam crudele sacrificium duxit. — *Involvendo.* Quia patris dolorem satis digne exprimere non poterat, eum spectatorum imaginationi sibi repræsentandum reliquit. — *Haruspicis.* Calchantis sacerdotis. — *Amicorum.* Ulyssis et Ajacis; unde patet male in edit. vett. et quibusdam MSS. *amici* legi. — *Fratris lacrimis.* Menelai, nempe is frater fuit Agamemnonis, non Iphigeniæ.

2. *Pictor.* Vid. Plin. l. c. Plut.

non vivum, labore industriæ suæ comprehenderat; cujus naribus spumas adjicere cupiens, tantus artifex in tam parvula materia multum ac diu frustra terebatur[1]: indignatione deinde accensus, spongiam omnibus imbutam coloribus forte juxta se positam apprehendit, et, veluti corrupturus opus suum, tabulæ illisit; quam fortuna ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris coegit explere[2]: itaque quod ars[3] adumbrare non valuit, casus imitatus est.

CAPUT XII.

Optimis artium magistris concedendum esse, ut factum apud Romanos

Furio et Cascellio in jure prædiatorio.

Optimis artium magistris concedendum esse, ut factum apud Externos

1. Euclidi in geometria. — 2. Philoni in architectura. — 3. Apelli in pictura.

OPTIMIS ARTIUM MAGISTRIS CONCEDENDUM ESSE, UT FACTUM APUD ROMANOS.

Suæ autem artis unumquemque et auctorem[4], et disputatorem optimum esse, ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus.

de fortit. Alex. Pictor, Plinio teste, fuit Nealces. — *Modo non*, id est, propemodum, ut alibi *tantum non*.

1. *Terebatur*. Vid. I, 8, 6; VIII, 14 init. Ante Vorstium vulgo legebant *tenebatur*.

2. *Explere*. Plures *exemplare*, id est, *describere ad exemplum alterius*; non vero *eximplere*, ad formam *adimplere* factum, uti Lipsius putavit, qui quoque *exemplare* tamquam ignotius verbum perperam prætulit; nam *exemplare* est verbum medii ævi, quod huc profecto non quadrat.

3. *Ars*. Hanc vocem a quibusdam editoribus male ejectam Torrenius merito restituit.

4. *Auctorem*. Pigh. in uno cod. reperit *actorem*, quod genuinum putat, et in textum recipit. Addit item quod Cicero similiter dixerit, *summus causarum actor*. Verum parum simile esse hoc alteri Vorstius contendit. Non enim, quia *causam agere* dicatur, ideo et *artem agere* dicendum videri putat.

Q. Scævola[1], legum clarissimus et certissimus vates, quotiescunque de jure prædiatorio consulebatur, ad Furium et Cascellium, quia huic scientiæ dediti erant, consultores rejiciebat: quo quidem facto moderationem magis suam commendabat, quam auctoritatem minuebat, ab his id negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano ejus usu callebant[2]: sapientissimi igitur artis suæ professores sunt, a quibus et propria studia verecunde, et aliena callide æstimantur.

OPTIMIS ARTIUM MAGISTRIS CONCEDENDUM ESSE, UT FACTUM APUD EXTERNOS.

1. Platonis[3] quoque eruditissimum pectus hæc cogitatio attigit: qui conductores sacræ aræ[4], de modo et forma ejus secum sermonem conferre conatos, ad Euclidem geometram ire jussit, scientiæ ejus cedens, immo professioni.

2. Gloriantur Athenæ armamentario[5] suo, nec sine causa; est enim illud opus et impensa et elegantia visen-

1. *Scævola.* Vid. Cic. pro Balb. XX. — *Vates.* Id est, interpres peritus. Sic medicinæ vates apud Plinium. — *Prædiatorio.* Qua voce etiam Cicero utitur. *Prædiatorium jus est*, quod pertinet ad prædia. Hujus juris periti etiam prædiatores dicti. — *Cascellium.* Hunc laudat etiam Hor. in art. poet.

2. *Callebant. Callere* proprie est, callum contrahere: sed per metaphoram illa voce experientia et multus rerum usus significatur. Justin. XXIV, 4.

3. *Platonis.* Vid. Plut. de genio Socrat. Plato geometriæ peritissimus in constituenda Palladis ara, ne alterius artem usurpare velle videretur, ad Euclidem megarensem consultores rejecit.

4. *Conductores... aræ.* Winch. et in margine Lib. Dan. *cond.... viæ.* Pighius ex conjectura edidit *cond. arcis*, putans Valerium agere de *arce* Minervæ, magnificentissimo et celeberrimo Athenarum ædificio, ubi sanctissimum Minervæ signum, de cælo delapsum, dedicatum legimus. Verum quis dubitet, Minervæ *arcem* jam ante Platonem exstitisse? Mitallerius aram Apollinis in Delo intelligit. Conductores aræ sunt, qui certo pretio eam ædificandam suscipiunt.

5. *Armamentario.* Plin. VII, 37; Cic. de Or. I, 14.

dum[1], cujus architectum Philonem ita facunde rationem institutionis suæ in theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ ejus, quam arti, tribueret.

3. Mirifice et ille[2] artifex, qui in opere suo moneri se a sutore de crepida et ansulis passus, de crure etiam disputare incipientem, supra plantam adscendere vetuit.

CAPUT XIII.

De senectute memorabili[3] *in Romanis.*

1. M. Valerio Corvo sexies Cos. — 2. L. Metello pont. max. — 3. Q. Fabio Max. Verrucoso. — 4. M. Perperna censorio. — 5. App. Claudio Cæco. — 6. Mulieribus, Livia, Terentia, et Clodia.

De senectute memorabili in Externis.

1. Hierone Siciliæ, et Masinissa Numidiæ regibus. — 2. Gorgia Leontino. — 3. Xenophilo chalcidensi. — 4. Arganthonio Gaditanorum rege. — 5. AEthiopibus, Indis, et Epimenide Cnosio. — 6. Gente Epiorum AEtola. — 7. Danthone quodam, et Latmiorum regibus duobus.

DE SENECTUTE MEMORABILI IN ROMANIS.

Senectus quoque ad ultimum sui finem provecta, in hoc eodem opere[4], inter exempla industriæ, in aliquot claris viris conspecta est; separatum tamen et proprium titulum habeat, ne, cui deorum immortalium præcipua indulgentia adfuit, nostra ornata[5] mentio defuisse existi-

1. *Visendum*. Sine dubio Valerii tempore adhuc exstabat opus illud, omnium visu dignum : nunc ne minimum quidem ejus vestig. apparet.

2. *Ille*. Apelles. Vide Plinium, XXXII, 10. — *Ansulis*. Quod in crepidis pauciores fecisset ansas. *Ansæ* sunt unci, per quos trajecta lora pedem adstringebant. Tibull. l. IX, 14; Ælian. IX, 11. — *Supra plantam*. Ad res, quarum cognitionem non haberet. *Ne sutor ultra crepidam*, inde abiit in proverbium.

3. *Memorabili* in plerisque MSS. et edd. vetustis omittitur.

4. *Eodem opere*. Vid. VIII, 7.

5. *Ornata*. Lipsius et Vorstius malunt *oratione*, ne Valerius nimis

metur; et simul spe[1] diuturnioris vitæ, quasi adminicula quædam dentur, quibus insistens, alacriorem se respectu vetustæ felicitatis facere possit; tranquillitatemque seculi nostri, qua nulla unquam beatior fuit, subinde fiducia confirmet, salutaris principis incolumitatem ad longissimos[2] humanæ conditionis terminos prorogando.

1. M. Valerius Corvus[3] centesimum annum complevit; cujus inter primum et sextum consulatum quadraginta septem[4] anni intercesserunt; suffecitque integris viribus corporis non solum speciosissimis reipublicæ ministeriis, sed etiam exactissimæ agrorum suorum culturæ, et civis, et patrisfamilias optabile exemplum.

2. Cujus vitæ spatium æquavit Metellus[5], quartoque anno post consularia imperia, senex admodum pont. max. creatus, tutelam cærimoniarum per duos et viginti annos, neque ore in votis nuncupandis[6] hæsitante, neque in sacrificiis faciendis tremula manu, gessit.

3. Q. autem Fabius Max.[7] duobus et sexaginta annis

superbe de se scripsisse videatur. Sed *ornata* tuentur MSS. omnes, nec intelligit aliud quam mentionem quæ ornet, laudet, senectutem. Sic *honoratus animus* VIII, 14, 2; VIII, 15, 9.

1. *Spe.* Id est, senectuti proprium titulum in opere meo assignavi eam quoque ob caussam, quod ipse spem habeo diuturnioris vitæ. Patet ex hac explicatione, nihil opus esse conjectura Lipsii Vorstii et Perizonii qui legunt *spei* pro *spe*.

2. *Longissimos.* Adulatur Tiberio, more illorum temporum longævam ei vitam adprecando. Quin et particulam suæ ipsorum vitæ, demptam sibi, Cæsaribus donare se velle simulabant.

3. *M. Val. Corvus.* Vid. Plin. VII, 48; Cic. in Cat.; Plut. in Mar. Corvus, seu Corvinus a corvo, qui eum in interficiendo Gallo adjuverat.

4. *Quadraginta septem.* Sic Camp. et Cauch. Bene et numerate. Tot enim annos, monente Pighio, ponunt inter primum et ultimum M. Corvi consulatum fasti Capitolini. Male ergo reliqui *quadraginta et sex*.

5. *Metellus.* Pius, Cretici pater. An. U. 510.

6. *Nuncupandis.* Vota nimirum sunt *conceptiva* vel *nuncupativa*. — *Tremula.* Constanti fuit manu senex; seu cultrum a capite victimæ ad caudam deduceret, seu mola salsa victimam cultrumque adspergeret, seu victimæ jugulum aperiret.

7. *Fabius Maximus.* Usque ad ann. 550. Liv. XXX, 26. Quum sacer-

auguratus sacerdotium sustinuit, robusta jam ætate id adeptus; quæ utraque tempora si in unum conferantur, facile seculi modum expleverint.

4. Jam de M. Perperna[1] quid loquar? qui omnibus, quos in senatum consul vocaverat[2], superstes fuit: septem quoque tantummodo, quos censor collega L. Philippi legerat, e patribus conscriptis reliquos vidit, toto ordine amplissimo diuturnior[3].

5. Appii[4] vero ævum clade metirer, quia infinitum numerum annorum orbatus luminibus exegit, nisi quatuor filios et quinque filias, plurimas clientelas, rem denique publicam, hoc casu gravatus, fortissime rexisset: quin etiam fessus jam vivendo, lectica se in curiam deferri jussit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc cæcum aliquis nominet, a quo patria quod honestum erat, per se parum cernens, coacta est pervidere?

dotium juvenibus raro, adolescentibus nunquam concessum sit, et Fabius LXII (juxta Plin. LXIII) annos illud gesserit, patet, eum prope ad seculi ætatem accessisse.

1. *Perperna.* An. U. 661 et 667; Dio, XLI.

2. *Quos in senatum consul vocaverat.* Sic fere MSS. quibus editio vetus consentit; idque Gronov. probavit. Vid. notas ejus ad Liv. II, 55; ubi phrases *in senatum*, *in concionem vocare* et in Livio demonstrat. Vulgo : *quos in senatu rogaverat.*

3. *Diuturnior.* XCVIII annos vixisse, Plinius refert.

4. *Appii.* De Appio vetus inscriptio; inscriptionibus enim, sicut aliis monumentis, veteres solebant magnorum virorum egregie facta immortalitati tradere, et juvenes ad similem gloriam sibi parandam acriter accendere. Illa hæc memorat : « *Appius Claudius C. F. Cæcus, censor, consul bis, dictator, interrex III præt. II; æd. cur. II; trib. mil. III; complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit, pacem fieri cum Pyrrho rege prohibuit, in censura Appiam stravit, et aquam in urbem adduxit.* » Ita hoc marmor, de quo tamen dubitaverunt nonnulli, an genuinum esset, brevi complectitur Appii gesta. Cujus ad diuturnam vitam quod attinet, quum veterum plurimi moderatam et a vehementibus affectibus temperatam vitam agere studerent, et longe simpliciore, quam postea, victu uterentur, non tantum diu vivere, sed et in senectute firmis animi viribus et corporis robore gaudere poterant. Ab qua via deflectentes, quam fœda, infirma, decrepita senectute affliguntur, ut vix vivere videantur!

6. Muliebris[1] etiam vitæ spatium non minus longum in compluribus apparuit; quarum aliquas strictim retulisse me satis erit; nam et Livii Rutilii septimum et nonagesimum, et Terentia Ciceronis tertium et[2] centesimum, et Clodia Aufilii, quindecim filiis ante amissis, quintum decimum et centesimum explevit annum.

DE SENECTUTE MEMORABILI IN EXTERNIS.

1. Jungam his duos reges, quorum diuturnitas populo romano fuit utilissima[3]: Siciliæ rector Hiero ad nonagesimum annum pervenit; Masinissa, Numidiæ rex, hunc modum excessit, regni spatium sexaginta annis emensus, vel ante omnes homines robore senectæ admirabilis. Constat eum, quemadmodum Cicero refert libro quem de senectute scripsit, nullo unquam imbre, nullo frigore, ut caput suum veste tegeret, adduci potuisse: eumdem ferunt aliquot horis in eodem vestigio perstare solitum, non ante moto pede, quam consimili labore juvenes fatigasset; at si quid agi a sedente[4] oporteret, toto die sæpe-

Anno Urbis. 473. Cic. de Senect. Liv. XIII, 32; Ed. nost. Vol. III, p. 281.

1. *Muliebris*. Vid. Plin. VII, 48.

2. *Tertium et centesimum*. CXVII scribit Plinius. — *Clodia Aufilii*. Formula loquendi antiqua est, qua mulieres adjunctis maritorum nominibus notabantur. Sic *Livia Rutilii*, supple *uxor*; *Terentia Ciceronis*, *Julia Pompeii*. Quidam codices *Aulifili*, alii *Auli filia*. Mendose. Plinius, VII, 48, *Ofilii*, quod cum *Aufilii* idem est. — *Amissis*. Non *enixis*: non enim hic fecunditatis exempla quærimus.

3. *Utiliss*. A. U. 538 et 605. Liv. XXIV, XLVIII et L; Plin. VII, 14 et 48. De Hierone multa mira et insignia veteres narrarunt, v. c. natum ex ancilla, expositum, ab apibus nutritum esse; haruspicum deinde monitu a patre receptum et ad spem promissæ ab auspicibus majestatis institutum esse; deinde belli stipendia ineunti aquilam in clypeo, noctuam in hasta consedisse, sæpius eum singulari certamine victoriam reportasse; eximia fuisse corporis pulchritudine, in alloquio blandum, in negotiis justum, in imperio moderatum; Syracusanos eum primo imperatorem, postea regem creasse.

4. *Agi a sedente*. Sic Aldus ediderat, et præter utrumque Brand. novem MSS. Torrenii habent cum

numero nullam in partem converso corpore in solio durasse; ille vero etiam exercitus equo insidens, noctem diei plerumque jungendo duxit; nihilque omnino ex iis operibus, quæ adolescens sustinere assueverat, quo minus senectute[1] ageret, omisit; veneris etiam usu ita semper viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium generarit, cui Methymnato[2] nomen fuit; terram quoque, quam vastam et desertam acceperat, perpetuo culturæ studio frugiferam reliquit.

2. Gorgias[3] etiam leontinus, Isocratis et complurium magni ingenii virorum præceptor, sua sententia felicissimus; nam quum centesimum et septimum ageret annum, interrogatus, *quapropter tamdiu vellet in vita remanere? Quia nihil*, inquit, *habeo*, *quod senectutem meam accusem*. Quid isto tractu ætatis aut longius, aut beatius? Jam alterum seculum ingressus, neque in hoc querelam ullam invenit, neque in illo reliquit.

3. Biennio minor Xenophilus[4] chalcidensis Pythagoricus, sed felicitate non inferior; siquidem, ut ait Aristoxenus musicus[5], omnis humani incommodi expers, in summo perfectissimæ splendore doctrinæ exstinctus est.

plerisque edd., meritoque revocatum est a Torrenio, qui animadvertit inter se opponi *perstare* et *sedente*. Pigh. vero, quem alii sequuti sunt, ex suis MSS. dedit *agere assidentem*, *et sic* habet edit. vet.

1. *Senectute*. Id est, in senectute, senex. Pigh. et Coler. pro *quo minus senectute*, dederunt, *quum illam senectutem*. Minus bene.

2. *Methymnato*. Ab aliis Σθιμβῶν seu Σθεμβανὸς vocatur.

3. *Gorgias*. Vid. Cic. Cat.; Quint. III, 1; Ælian. II, 35; Philostr. in vit. sophist. I. Gorgias primus profiteri ausus est, se de quacumque re proposita statim disputaturum. Inde factum, ut imitatores deinde justo minorem orationibus suis adhiberent operam, quum contra Isocrates in perficiendis suis operibus nimium fere studiosus esset.

4. *Xenophilus*. Vid. Lucian. in Macrobiis; Plin. VII, 50.

5. *Musicus*. Præter musica, etiam historica et philosophica conscripsit. Nihil celebratius opere de vitis illustrium virorum. Vid. Gell. IV, 11. Non sine summa voluptate illud Aristoxeni opus legi potuisse, testatur Plut. libro Quod non suaviter vivi possit sec. Epicur. p. 1093.

4. Arganthonius[1] autem gaditanus tamdiu regnavit, quamdiu etiam ad satietatem vixisse abunde foret; octoginta enim annis patriam suam rexit, quum ad imperium quadraginta[2] annos natus accessisset: cujus rei certi sunt auctores. Asinius etiam Pollio[3], non minima pars romani stili, in tertio historiarum suarum libro, *centum illum et triginta annos explesse*, commemorat; et ipse nervosæ vivacitatis haud parvum exemplum.

5. Hujus regis consummationem annorum minus admirabilem faciunt Æthiopes[4]; *quos* Herodotus scribit *centesimum et vigesimum annum transgredi*; et Indi, de quibus Ctesias idem[5] tradit; et Epimenides[6] Cnosius,

1. *Arganthonius*. Vid. Cic. Cat.; Herodot. III; Silius, III, 397; Appian. Iber. Huic Tartessiorum in Hispania Bætica tyranno Cicero et Plinius, VII, 48, ætatem CXX ann. adscribunt.

2. *Quadraginta*. MSS. *quadraginta* produnt, quemadmodum Plinius et Cicero in Catone. Lucianus ex Anacreonte centum quinquaginta annos vixisse Arganthonium tradit, sed Pighius putat Valerium in his sequi Ciceronem; et Plinium utrosque. Aldus ediderat *sexaginta*.

3. *Pollio*. Princeps orator et civis (Plin. VII, 30), de Dalmatis triumphavit, præterque orationes et tragœdiam, reliquit etiam historiar. libr. XVII. Vid. Suidam. In bello civili a partibus stetit Cæsaris. — *Triginta*. Vorstius: « Valerium, inquit, non eumdem plane numerum, quem jam expresserat, repetere; sed paulo majorem exprimere voluisse; qui quidem ab Asinio Poll. tributus Arganthonio fuerit. Numerum CXX annorum, quem et h. l. quidam apponunt pro CXXX, jam expresserat, ejusque certos auctores esse scripserat. De Asinio autem peculiariter memorandum erat, quod ille decem annos amplius, atque ita CXXX Arganthonio tribuisset. »

4. *Æthiopes*. Vid. Herodot. III; Laert. in vit.; Arrian. VIII, 9. Solinus de Æthiopibus: « ultra Meroem, inquit, super exortum solis, Macrobii Æthiopes vocantur. Dimidio enim eorum potentior, quam nostra, est vita: hi Macrobii justitiam colunt, amant æquitatem, plurimum valent robore præcipuo. »

5. *Ctesias idem*. Id est, de Indis idem tradit Ctesias, quod Herodotus de Æthiopibus. *Ctesias* mire corruptum in MSS. et pro *idem* fere omnes edd. vett. habent *quidem*.

6. *Epimenides*. Philosophus cretensis longo somno memorabilis per L et quod excurrit annos. Quum vero vitam nobiscum fere dividat somnus, suspicor, aliquem dixisse, Epimenidem ultra L annos, nempe per omnem suam vitam, dormivisse: unde fabula enata videtur. Alii multo longiorem ei vitam tri-

quem Theopompus dicit *septem et quinquaginta et centum annos vixisse.*

6. Hellanicus vero ait, *quosdam ex gente*[1] *Epiorum*, quæ pars est Ætoliæ, *ducentos explere annos;* eique subscribit Damastes[2], hoc amplius affirmans, *Lictorium quemdam ex his maximarum virium, staturæque præcipuæ, trecentesimum annum cumulasse.*

7. Alexander[3] vero in eo volumine, quod de illyrico tractu composuit, affirmat, *Danthona quemdam ad quingentesimum usque annum nulla ex parte senescentem processisse;* sed multo liberalius Xenophon, cujus περίπλους legitur: is enim Latmiorum[4] regem octingentis vitæ annis donavit; ac ne pater ejus parum benigne acceptus videretur, ei quoque sexcentos assignavit annos.

buunt. — *Cnosius.* E Cnoso Cretæ urbe oriundus.

1. *Epiorum.* Plin. VII, 48. MSS. *Epiporum, Epirorum, Epiorum*, unde Coler. malit *Epiriorum.* At tunc dixisset *Epirotarum*, et *Epirii* non sunt pars Ætoliæ. Sed *Epii* sunt pars Achaiæ, non Ætoliæ? verum coloniam in Ætoliam mittere potuerunt, ut ex eo illorum nomen transierit. Et sane Strabo, X, tradit: decem antiquissimas Ætoliæ urbes ab Epiis cum Ætolis conditas. — *Ducentos.* Plinius hæc omnia fabulosa esse et ex errore annorum provenisse putat, quos alii sex mensium, alii trium constituissent. Nec alienus essem, ad ejus sententiam accedere. Forsan exinde eruere licet, cur tantum annorum numerum Ægyptii aliique regno suo tribuerint. Vide de his Perizonii Origines Ægyptiacas.

2. *Damastes.* Hellanico Milesio æqualis. Vid. Dionys. I; Strabo, IX. In regionibus circa Hellespontum operam dedit historiis conscribendis.

3. *Alexander.* Plinius l. c. Alexandro nomen Cornelii addit. — *Danthona.* Alii *Dandonem*, uti apud Plinium, ubi Harduinus legi vult *Datona*, alii aliter. — *Parte.* Neque animi, neque corporis viribus deficientem; non sapientia, non memoria carentem, quæ senectutis vitia esse solent.

4. *Latmiorum.* Latmus Cariæ urbs, vel insula: *Latmii*, qui eam incolunt. Occurrit etiam sinus Latmicus. Strabo urbem cum portu a vicino monte sic appellatam prodidit.

CAPUT XIV.

De cupiditate gloriæ in Romanis.

1. P. Africano majore. — 2. D. Bruto Gallaico. — 3. Cn. Pompeio Magno. — 4. Sulla Felice. — 5. Equite quodam. — 6. C. Fabio pictore.

De cupiditate gloriæ in Externis.

1. Themistocle atheniensi. — 2. Alexandro Magno. — 3. Aristotele stagirite. — 4. Pausania macedone. — 5. Herostrato.

DE CUPIDITATE GLORIÆ IN ROMANIS.

Gloria[1] vero, aut unde oriatur, aut cujus sit habitus, aut qua ratione debeat comparari, et an melius a virtute, veluti non necessaria, negligatur, viderint ii, quorum in contemplandis hujusmodi rebus cura teritur; quibusque illa, quæ prudenter animadverterunt, facunde contigit eloqui: ego in hoc opere factis auctores, et auctoribus facta sua reddere contentus, quanta cupiditas ejus esse soleat, propriis exemplis demonstrare conabor.

1. Superior Africanus[2] Ennii poetæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quod ingenio ejus opera sua illustrata judicaret, non quidem ignarus,

1. *Gloria*, Alii plus, alii minus justo huic tribuerunt. Sed vir bonus et prudens neque gloriæ avidus inhiabit, neque plane eam spernet, quum sit variæ ad res gerendas utilitatis. Levis plerumque animi est, nihil laborare de virtutis gloria. Unde Ciceroni assentiri possumus : « *trahimur*, inquienti, *omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur.* — *Gloria vero, aut unde.* Sic habent fere omnes MSS. et ed. Mog. Pighius vero dederat *gloria autem unde*, sed quum frequens sit Nostro, etiam in priore membro, conjunctiones tum copulativas, tum disjunctivas usurpare, mutationem Pighianam Torrenius sequi noluit. — *Teritur.* Pighius Ciceronis libros de gloria innui hariolatur, quorum meminit Gellius, XV, 6.

2. *Africanus.* Vid. Liv. XXXVIII; Cicero pro Archia poeta; Plinius, Histor. Natural. lib. VII, cap. 30; Solin. 7.

quamdiu romanum imperium floreret, et Africa Italiæ pedibus esset subjecta, totiusque terrarum orbis summum columen arx capitolina possideret, eorum exstingui memoriam non posse; si tamen literarum quoque lumen illis accessisset, magni æstimans; vir Homerico, quam rudi[1] atque impolito præconio, dignior.

2. Similiter honoratus[2] animus erga poëtam Accium D. Bruti, suis temporibus clari ducis, exstitit: cujus familiari cultu et prompta laudatione delectatus, ejus versibus templorum aditus, quæ ex manubiis[3] consecraverat, adornavit.

3. Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc affectu gloriæ aversus[4], qui Theophanem mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit; beneficium per se amplum, accurata etiam et testata[5] oratione prosecutus: quo effectum est, ut ne quis dubitaret, quin referret potius gratiam, quam inchoaret.

4. L. autem Sulla[6], etsi ad neminem scriptorem animum direxit, tamen Jugurthæ a Boccho rege ad Marium perducti totam sibi laudem tam cupide asseruit, ut annulo, quo signatorio utebatur, insculptam illam traditionem haberet; et quantus postea! ne minimum quidem[7] gloriæ vestigium contempsit.

1. *Rudi atque impolito.* Frustra Barthius conjicit *Rudio eoque impolito.* Lectio vulgaris Vorstio magis placet. Cæterum non Valerius tantum, sed et alii Ennio *ruditatem* tribuunt. Sic Ovidius : *Ennius ingenio maximus, arte rudis.* Hac voce complures ad ejus patriam Rudias allusisse putantur; quod etiam Valerii animo inhæsisse videtur.

2. *Honoratus.* Qui alii honorem habet, active. Vid. VIII, 13, init. *ornata mentio.* — *Accium.* An. U. 621. Cic. in Bruto, et p. Archia, 2.

3. *Manubiis. Manubiæ* hic sunt pecuniæ ex venditione prædæ.

4. *Aversus.* An. U. circiter. 692. Strabo, XIII; Cicer. pro Arch. 10.

5. *Testata.* Id est, copiosa et nota oratione. Vid. supr. IV, 1, 12.

6. *Sulla.* An. U. 647. Plutarch. Plin. XXXVII, 1; et Sallust. B. J. — *Insculptam.* Similis gloriæ studiosus, qui in sigillo sculptum habuit equum illum, δι' ὃν χρεμετίσαντα ἐβασίλευσεν.

7. *Ne minimum quidem.* Vid. Cic. pro Archia, 10.

5. Atque ut imperatoribus gloriosum militis spiritum subnectam, Scipionem[1] dona militaria iis, qui strenuam operam ediderant, dividentem, T. Labienus, *ut forti equiti aureas armillas tribueret*, admonuit; eoque negante, *se id facturum, ne castrensis honos in eo, qui paulo ante servisset, violaretur*, ipse ex præda gallica[2] aurum equiti largitus est; nec tacite id Scipio tulit; nam equiti, *Habebis*, inquit, *donum viri divitis*[3]: quod ubi ille accepit, projecto ante pedes Labieni auro, vultum[4] demisit. Idem ut audiit Scipionem dicentem, *Imperator te argenteis armillis donat*, alacer gaudio[5] abiit. Nulla est ergo tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur.

6. Illa vero etiam a claris viris interdum ex humillimis rebus petita est; nam quid sibi voluit C. Fabius[6] nobilissimus civis? qui quum in æde Salutis[7], quam C. Junius Bubulcus dedicaverat, parietes pinxisset, nomen his suum inscripsit; id enim demum ornamenti familiæ consulatibus, et sacerdotiis, et triumphis celeberrimæ deerat. Cæterum sordido[8] studio deditum ingenium, qualemcunque illum laborem suum silentio obliterari noluit, videlicet Phidiæ secutus exemplum, qui clypeo Minervæ effigiem suam inclusit, qua convulsa, tota operis colligatio solveretur.

1. *Scipionem.* An. U. 707. Factum bello civil. in Africa. De *donis militaribus* vid. supra. — *Armillas.* Ornamenta sinistrarum, quibus Sabini Gallique præcipue utebantur.

2. *Gallica.* Quum Scipio imperator equiti armillas aureas dare nollet, fecit hoc Labienus de suo, et quidem ex præda, quam ante in Gallia adeptus fuerat.

3. *Divitis.* Non ab imperatore, sed a divite tantum Labieno datum.

4. *Vultum.* In signum indignationis.

5. *Alacer gaudio.* Harl. et alii *alacri gaudio.* Sed recte omnino *alacer gaudio.* Phædr. II, 5, 21; ad quem locum vide quæ adduxit cl. Burmannus.

6. *Fabius.* An. U. 451. Livius, IX; Plin. XXXIV, 4; Cic. Tusc. I, 15; de Orat. II, 17; Orat. 71.

7. *Salutis*, in Quirinali. — *Inscripsit.* Quare Pictor appellatus est, unde postea Fabii Pictores.

8. *Sordido studio. Sordidum studium* vocat artem pingendi, respectu Fabii nobilissimi viri, quem rempublicam tractare, non penicillum, decebat.

DE CUPIDITATE GLORIÆ IN EXTERNIS.

1. Sed melius aliquanto, si imitatione aliena capiebatur, Themistoclis ardorem esset æmulatus[1]: quem ferunt stimulis virtutum agitatum, et ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus, *quid ita eo tempore in publico versaretur?* respondisse: *Quia me tropæa Miltiadis de somno excitant.* Marathon[2] nimirum animum ejus ad Artemisium, et Salamina, navalis gloriæ fertilia nomina, illustranda tacitis facibus incitabat. Idem theatrum petens, quum interrogaretur, *cujus vox auditu illi futura esset gratissima?* dixit: *Ejus, a quo artes meæ canentur optime.* Dulcedinem gloriæ pæne adjecit gloriosam[3].

2. Jam Alexandri pectus insatiabile laudis[4], qui Anaxarcho comiti suo, ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti, *Heu me*, inquit, *miserum, quod ne uno quidem adhuc potitus sum!* Angusta homini possessio gloriæ[5] fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit.

1. *Esset æmulatus.* Vid. Plut. in v.; Cic. p. Arch.; Ælian. XIII, 43. Tropæa Miltiadis eum ad similem laudem petendam excitabant. *Artemisium*, Eubœæ promontorium, pugna navali nobilitatum, qua Xerxes fugatus est ita, ut se conservatum a Themistocle putaret.

2. *Marathon... ad Artemisium et Salamina... incitabat.* Ita textum constituit Perizonius, cujus emendationem recipere Torren. non dubitavit. Miltiadis tropæa excitabant Themistoclem, ad quæ referenda est victoria Miltiadis de Persis ad *Marathona*. Sed *Artemisium* et *Salamis* non erant tropæa Miltiadis, quæ Themistoclem excitare poterant, immo ipse hæc loca victoriis suis illustravit. Hinc patet, Pighii lectionem *Marathon... et Artemisium et Salamis... incitabant* stare non posse. Omnes libri præterea habent *Salamina* in quarto casu, non *Salamis*.

3. *Gloriosam.* Plures hic sententiolam et epiphonema inveniunt, legere cupientes: *dulcedinem gloriæ, pæne adjeci, gloriosam!* Magis placet Kappii explicatio: pæne plus justo tribuit gloriæ suæ, paulo arrogantius de rebus suis gestis loquutus est.

4. *Laudis.* Plut. de Tranq. animi; Ælian. IV, 29; Juvenal. satir. X, 161.

5. *Gloriæ.* Hanc vocem a glossa irrepsisse non dubitant Perizonius et Torrenius, quod tamen Kappius haud probat.

3. Regis, et juvenis, flagrantissimæ cupiditati similem Aristotelis in capessenda laude sitim subnectam[1]; is namque Theodecti discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donaverat, molesteque postea ferens titulum eorum sic alii cessisse, proprio volumine quibusdam rebus insistens, *planius sibi de his in Theodectis libris dictum esse* adjecit. Nisi me tantæ et tam late patentis scientiæ verecundia teneret, dicerem dignum philosophum, cujus stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur. Cæterum gloria ne ab his quidem, qui contemptum ejus introducere conantur, negligitur, quoniam quidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adjiciunt[2], ut quod professione elevant, usurpatione memoriæ assequantur; sed qualiscunque horum dissimulatio proposito illorum longe tolerabilior[3] est, qui, dum æternam memoriam assequerentur, etiam sceleribus innotescere non dubitarunt.

4. Quorum e numero nescio an in primis Pausanias[4] debeat referri; nam dum Hermoclem[5] percontatus esset, *quonam modo subito clarus posset evadere?* atque is respondisset, *si illustrem virum aliquem occidisset, futurum ut gloria ejus ad ipsum redundaret:* continuo Phi-

1. *Subnectam.* Ejus verba exstant in principio rhetor. ad Alexandr. Cic. pro Archia.

2. *Adjiciunt.* Hæc sententia a Cicerone mutuata videtur.

3. *Tolerabilior.* Qui pessimo quodam facinore gloriam usurpare cupiebant. Transitus ad reproba, quæ sequuntur. — *Dum ... assequerentur.* Pigh. pro *dum* scripsit *dummodo*, et pro *assequerentur*, *assequantur*; quæ recte Vorstio minus placent. *Assequerentur* adest in MSS. et consentaneum est verbo præteriti temporis quod sequitur, *dubitarunt.*

4. *Pausanias.* Diodor. Sic. et Plut. in Alex.; Justin. IX. Pausanias, nobilis adolescens ab Oreste inclytum genus trahens, quum a rege petiisset, ut fœdam indignitatem, quam passus erat ab Attalo, ulcisceretur, et derisus a Philippo esset, iram in hunc convertit. Magis incensus per Olympiadem et Alexandrum, ut et illorum probrum vindicaret, regem occidit, non, ut ait Valerius, gloriæ cupiditate, sed vindictæ studio motus.

5. *Hermoclem.* Alii, *Hermocratem*; inter quos ex Diodoro Brodæus.

lippum interemit, et quidem quod petierat, assequutus est; tam enim se parricidio, quam Philippus virtute, notum posteris reddidit.

5. Illa vero gloriæ cupiditas sacrilega: inventus est[1] enim, qui Dianæ ephesiæ templum incendere vellet, ut opere pulcherrimo consumpto, nomen ejus per totum terrarum orbem disjiceretur: quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. At bene consuluerant Ephesii, decreto memoriam teterrimi hominis abolendo; nisi Theopompi[2] magnæ facundiæ ingenium historiis eum suis comprehendisset.

CAPUT XV.

Quæ cuique magnifica contigerunt Romanis.

1. P. Africano majori. — 2. M. Catoni censorio. — 3. P. Scipioni Nasicæ. — 4. P. Scipioni Æmiliano. — 5. M. Valerio Corvino. — 6. Q. Mucio Scævolæ. — 7. C. Mario. — 8. Cn. Pompeio Magno. — 9. Q. Lutatio Catulo. — 10. M. Catoni Uticensi. — 11. L. Marcio eq. rom. — 12. Sulpiciæ Ser. F. Q. Flacci.

Quæ cuique magnifica contigerunt Externis.

1. Pythagoræ samio. — 2. Gorgiæ leontino. — 3. Amphiarao vati. — 4. Pherenicæ mulieri Græcæ.

QUÆ CUIQUE MAGNIFICA CONTIGERUNT IN ROMANIS.

Candidis autem animis voluptatem præbuerint[3] in conspicuo posita, quæ cuique magnifica merito contigerunt;

1. *Inventus est.* Herostratus ea, qua Alexander natus est, nocte id fecit. Vid. Strabo XIV. Magnificentius deinde templum exstructum est. — *Disjiceretur.* Id est, *spargeretur*, diffunderetur. Alii *dissereretur*, minus bene.

2. *Theopompi.* Isocratis discipulus, tragicus poëta et orator eximius. Non commutandus cum rege quodam Lacedæm. IV, 1, 8. — *Historiis.* Quidam legunt *in historiis*. Sed Noster præpositionem etiam alibi omittit; e. g. in præfatione.

3. *Præbuerint.* Alii ante Pighium, *præbuerunt*. Male. Loquitur enim

quia æque[1] præmiorum virtutis atque honorum contemplatio judicanda est; ipsa natura nobis alacritatem subministrante, quum honorem industrie appeti, et exsolvi grate videmus. Verum etsi mens hoc loco protinus ad Augustam domum, beneficentissimum et honoratissimum[2] templum, omni impetu fertur, melius cohibebitur; quoniam cui adscensus in cælum patet, quamvis maxima, debito tamen minora sunt, quæ in terris tribuuntur.

1. Superiori Africano[3] consulatus citerior legitimo tempore datus est; quod fieri[4] oportere, exercitus senatum literis admonuit; ita nescias, utrum illi plus decoris patrum conscriptorum auctoritas, an militum consilium adjecerit; toga enim Scipionem ducem adversus Pœnos creavit, arma poposcerunt. Cui quæ in vita præcipua assignata sunt, et longum est referre, quia multa; et non necessarium, quia majore ex parte jam relata sunt. Itaque, quod hodieque eximium capit[5], adjiciam : imaginem in cella

non de voluptate ex modo dictis percepta, sed ex dicendis percipienda.

1. *Æque ... judicanda est*. Id est, nam sive *præmia* virtutis, sive *honores* virtutis contemplari te velle dicas, parum refert, et fere idem est. Hanc lectionem recte revocavit Vorstius. Phrasis insolita *æque judicanda est* videtur scribas adduxisse, ut *virtutis* modo in *virtutes*, modo in *virtus* mutarent. Simile quidquam occurrit apud Plaut. Mil. Glor. III, 1, 86. *Æque istud facio*, id est, mihi tantidem est.

2. *Honoratissimum*. Nihil magnificentius contingere Augusto potuisset, quam ut vivo et præsenti templum et ara constitueretur, illique redderentur honores divini; de quo Horatius, lib. II, epist. 1, 16:

Præsenti tibi divinos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

3. *Africano*. A. U. 548 et 552. Livius XXVIII et XXXVIII, 56. Supr. IV, 1, 6. — *Citerior*. I. e. ante legitimum tempus.

4. *Fieri*. *Quod fieri* usque ad *poposcerunt* Pighius expunxit, et inseruit n. 4, ut Valerium hoc loco ab erroris suspicione liberaret, quum tamen sæpius erret. H. l. Africano *superiori* tribuit, quod Appianus aliique de *Æmiliano* referunt, nempe : a militibus crebras literas ad amicos et familiares scriptas esse, ut Æmilianus cos. crearetur. In hoc autem similitudo utriusque Scipionis est, quod uterque ante legitimum tempus consules facti sunt. Unde forsan Valerii error.

5. *Capit*. Vorstius: *capiti adjiciam*.

Jovis[1] Opt. Max. positam habet; quæ, quotiescunque munus[2] aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur; unique illi instar atrii[3] Capitolium est.

2. Tam hercle[4], quam curia superioris Catonis effigies ad ejus generis officia expromitur; gratum ordinem, qui utilissimum reipublicæ senatorem tantum non semper secum habitare voluit, omnibus numeris virtutum divitem, magisque suo merito quam fortunæ beneficio magnum: cujus prius consilio, quam Scipionis[5] imperio, est deleta Carthago.

3. Verum[6] specimen honoris a Scipione quoque Nasica oboritur; ejus namque manibus et penatibus nondum quæstorii[7], senatus, Pythii Apollinis monitu, Pessinunte

Male. *Capit;* id est, percipit Scipio post mortem. Nam quæ Scipioni in vita tributa erant honorifica, ea omittere voluit Valerius, quia multa sunt; sed hoc, quod post ejus mortem ipsi assignatum est, adjicere voluit.

1. *Jovis.* Cujus filius credebatur.

2. *Munus.* Alii : *funus*, quod ex more pompa imaginum totius stirpis celebrare solebant. Sed et *munus* locum habet, quod munera gladiatoria sæpius in funeribus populo dabant.

3. *Atrii.* I. e. quum aliorum imagines in ædium atriis asservari, indeque proferri soleant, Scipionis effigiem asservari in Capitolio, indeque depromere solebant.

4. *Tam Hercle ... expromitur.* Scilicet, eodem modo expromitur effigies Catonis superioris in funeribus gentis Porciæ ex curia. Sic Kappius ex vett. edd. reposuit. Pigh. et Coler. dederant *superiori Catoni* (scilicet, instar atrii est). *Unde effigies illius ad ejusdem generis* ... Vorstius: *Superioris Catonis effigiei : unde ad*... Torrenius : *Superioris Catonis effigiei, unde*... MSS. variant, alii *unde* delent, alii *effigies illius ad cujus generis* legunt; nempe pro, *ad ejus generis officia;* in codd. suis invenisse videntur *ejus ad generis officia*, hinc putarunt *ejus* referri debere ad *Catonis*, quod vero ad *generis* referendum erat; et interpretationis causa intruserunt voculam *unde.* — *Expromitur.* A. U. 604. Aurel. Vict. in vit.; Liv. XLIX; Cic. Cat.

5. *Scipionis.* Nempe Æmiliani.

6. *Verum.* Sic, quum Pighius *rarum* edidisset, a Torrenio repositum est, ex quatuordecim MSS. et omnibus edd. *Rara* erant antecedentia specimina : hoc *verum*, id est, justum, solidum. Vid. Terent. Eun. IV, 5, 3. — *Morum.* A. U. 549. Liv. XXIX; Ovid. Fast. IV; Aurel. Vict. 44; Solinus, 7.

7. *Quæstorii.* Duodecim MSS. cum multis edd. *Quæstoris. Quæstorius* interdum est, qui quæsturam *gerit*, non *gessit.*

arcessitam deam excipi voluit; quia eodem oraculo præceptum erat, ut hæc ministeria matri deum a sanctissimo viro præstarentur. Explica totos fastos, constitue omnes currus triumphales; nihil tamen morum[1] principatu speciosius reperies.

4. Tradunt subinde nobis ornamenta sua Scipiones commemoranda[2]; Æmilianum enim populus ex candidato ædilitatis, consulem fecit; eumdem[3], quum quæstoriis comitiis suffragator[4] Q. Fabii Maximi fratris filii, in campum descendisset, consulem iterum reduxit; eidem senatus bis sine sorte provinciam, prius Africam, deinde Hispaniam, dedit; atque hæc neque civi, neque senatori ambitioso: quemadmodum non solum vitæ ejus severissimus cursus, sed etiam mors clandestinis illata insidiis declaravit.

5. M. quoque Valerium[5] duabus rebus insignibus dii pariter atque cives speciosum reddiderunt; illi cum quodam Gallo cominus pugnanti corvum propugnatorem subjicientes[6]; hi tertium et vigesimum annum ingresso, consulatum largiti: quorum alterum decus vetustæ originis, optimi nominis[7] gens, Corvini amplexa cognomen

1. *Morum.* Vitæ sanctitatem quibuscumque rebus gestis et honoribus recte præfert Valerius.

2. *Commemoranda.* A. U. 606, 619, 624. Liv. L, LVI, LIX; Aurel. Vict. in vit.; Cic. Læl.; Plut. in Gracch.

3. *Eumdem quum.* Ante hæc verba Pighius ea, quæ exempl. 1 expunxerat, intrusit. Vid. supra.

4. *Suffragator.* Non candidatus descenderat, ut magistratum sibi peteret; sed ut suffragaretur, ut favore et auctoritate sua Fabius quæsturam adsequeretur.

5. *Valerium.* A. U. 404 et 405. Liv. VII, 26; Gell. IX, 11; Oros. III, 6; Quint. I, 4; Aurel. Vict. 29; Flor. I, 13; Cic. Off. III, 31.

6. *Subjicientes.* Auxilio mittentes.

7. *Optimi generis gens, Corvini...* Sic legendum putat Perizonius. Plerique *optimi hominis*, et omnes fere, *gens Corvina* vel *Corvinia*. Sed quis unquam audivit, Valerium *optimum hominem* præcipue appellari? Dixisset auctor potius *fortissimi hominis*. Gens vero ipsa erat *optimi nominis*, hoc est, *popularis* et *speciosi*; dicebantur enim Valerii *Publicolæ*. — *Usurpat. Publicolæ* cognomen desiit, quum assumeretur *Corvini* in ea gente.

usurpat: alterum summo subjungitur ornamento[1], tam celeritate, quam principio consulatus gloriando.

6. At ne Q. quidem Scævolæ[2], quem L. Crassus in consulatu collegam habuit, gloria parum illustris: qui Asiam tam sancte et tam fortiter obtinuit, ut senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus, exemplum atque formam officii Scævolam decreto suo proponeret.

7. Inhærent illi voci[3] posterioris Africani septem C. Marii consulatus, ac duo amplissimi triumphi[4]; ad rogum enim usque gaudio exsultavit[5], quod, quum apud Numantiam sub eo duce stipendia equestria[6] mereret, et forte inter cœnam quidam Scipionem interrogasset, *si quid illi accidisset, quemnam respublica æque magnum habitura esset imperatorem*, respiciens se supra ipsum cubantem, *vel hunc*, dixit: quo augurio perfectissima virtus maximam orientem virtutem videritne certius, an efficacius accenderit, perpendi vix potest. Illa nimirum cœna militaris speciosissimas tota in urbe Mario futuras cœnas ominata[7] est: postquam enim Cimbros ab eo deletos ini-

1. *Ornamento*. Consulatus initio.

2. *Scævolæ*. A. U. 658. Cic. in Brut.; ad Att. V et VI; Verrin. IV. Hic ille est Scævola, quem Cato in ea provincia diligentissime observaverat, accusaturus, si quid peccasset, ulciscendi patris gratia, qui ab hoc Scævola fuerat aliquando damnatus. Sed tanta fuit Scævolæ integritas, ut nullum illi criminandi locum reliquerit.

3. *Voci*. Id est, Marius per eam vocem excitatus est, ut consulatus et triumphos mereretur.

4. *Triumphi*. De Jugurtha et de Cimbris. A. U. 619. Plut. in vit. A. U. 651.

5. *Ad rogum... exsultavit, quod... imperatorem, respiciens se supra ipsum cubantem... dixit*. Sic locus, ab editoribus mire corruptus, interpungendus et legendus, ex fide complurium MSS. Neque aliter recte intelligi potest. Marius, non propter fortunam quæ non semper fausta fuit, sed propter honorificum Scipionis judicium *gaudio exsultasse* dicitur. *Se* ad *Marium* referendum est, et cum voce *cubantem* conjungendum, ita ut sit sensus: Marius gavisus est, quod Scipio interrogatus *respiciens se cubantem supra ipsum*, nempe Scipionem, *dixit*...

6. *Equestria*. Decurio.

7. *Ominata est*. In cœna militari Scipio quasi prævidit sumptuosas illas cœnas, quas P. R. nocte, qua nunciatum fuit, Cimbros ab eo de-

tio noctis nuntius pervenit, nemo fuit, qui non illi tamquam diis immortalibus, apud sacra mensæ suæ libaverit.

8. Jam quæ in Cn. Pompeium et ampla[1] et nova congesta sunt, hinc assensione favoris, illinc fremitu invidiæ, literarum monumentis obstrepuntur: eques[2] romanus, proconsule in Hispaniam adversus Sertorium, pari imperio cum Pio Metello principe civitatis missus est; nondum ullum honorem auspicatus, bis triumphavit[3]; initia magistratuum a summo imperio cepit; tertium consulatum decreto senatus solus gessit; de Mithridate, et Tigrane, de multis præterea regibus[4], gentibus, plurimisque civitatibus, et prædonibus unum duxit triumphum.

9. Q. etiam Catulum[5] populus romanus voce sua tantum non ad sidera usque evexit; nam quum ab eo pro rostris interrogaretur, *si in uno Pompeio Magno omnia reponere perseverasset, absumpto illo subiti casus incursu, in quo spem esset habiturus*, summo consensu acclamavit, *In te*. Vim honorati judicii admirabilem, siquidem Magnum Pompeium cum omnibus ornamentis, quæ retuli, duarum[6] syllabarum spatio inclusum Catulo æquavit!

10. Potest et M. Catonis[7] ex Cypro cum regia pecu-

letos, in Marii honorem celebravit. Ea nocte non diis, sed uni Mario libarunt.

1. *Ampla*. Quæ exponit præsertim Cic. pro leg. Man. et Plin. VII, 26, qui illum non Alexandri M. solum, sed et Herculis et Liberi Patris fulgorem adæquasse adfirmat, quum quasi de toto orbe triumpharit. Ann. U. 676-692. Plutarchus in vita Pompeii.

2. *Eques*. Teste Livio ep. l. XCI, *eques* fuit, quum contra proscriptum Domitium et Hiarbam in Africam, sed *quæstor*, quum adversus Sertorium mitteretur. Sic Oliverius. Alii negant, et Ciceroni majorem fidem habent, qui hæc omnia vidit.

3. *Triumphavit*. De Africa, et victo Carbone, de Sicilia.

4. *Regibus*. Ariobarzane, Pharnace et Aristobulo. — *Civitatibus*. CM cepisse dicitur, inter quas Hierosolyma.

5. *Catulum*. A. U. 687. Cic. pro leg. Man.; Vellei. II, 32; Plut. in Pomp.; Dio. Cass. XXXVI.

6. *Duarum*. Sci. *in te*. — *Catulo*. Vorstius legere suadet: *Pompeio* — *Catulum æquavit*. Frustra.

7. *Catonis*. A. U. 697. Plut. in vit.; Dionys. XXXIX. — *Pecunia*.

nia revertentis appulsus ad ripam Tiberis videri memorabilis: cui navi egredienti consules, et cæteri magistratus, et universus S. P. Q. R. officii gratia præsto fuit; non quod magnum pondus auri et argenti, sed quod M. Catonem classis illa incolumem advexerat, lætatus.

11. Sed nescio, an præcipuum sit L. Marcii inusitati decoris exemplum[1], quem equitem romanum duo exercitus, P. et Cn. Scipionum interitu, victoriaque Hasdrubalis[2] lacerati, ducem legerunt: quo tempore salus eorum in ultimas angustias deducta, nullum ambitioni locum relinquebat.

12. Merito virorum commemorationi Sulpicia, Ser. Paterculi filia, Q. Fulvii Flacci uxor, adjicitur[3]: quæ quum senatus, libris Sibyllinis per decemviros inspectis, censuisset, ut Veneris Verticordiæ[4] simulacrum consecraretur, quo facilius virginum mulierumque mens a libidine ad pudicitiam converteretur; et ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ, de sanctissima[5] femina judicium facerent, cunctis castitate prælata est.

QUÆ CUIQUE MAGNIFICA CONTIGERUNT EXTERNIS.

1. Cæterum quia sine ulla diminutione romanæ majestatis extera quoque insignia respici possunt, ad ea

V. supr. IV, 1, 14. IV, 3, 2 et 12. — *Tiberis*. Alii : *urbis*.

1. *Exemplum*. A. U. 541. Liv. XXV; et Appian. Iberic. et supra I, 6, 2.

2. *Hasdrubalis*. Plerique MSS et nonnullæ vett. edd. *Hannibalis*, male. P. et Cn. Scipiones ab Hasdrubale victos fuisse inter scriptores constat. — *Legerunt*. Senatus tamen non adprobavit, eo, quod non satis modeste victoriam suam annuntiaverat.

3. *Adjicitur*. A. U. 639. Plin. VII, 35; Ovid. Fast. V; Jul. Obs. 97; Solin. 7.

4. *Verticordiæ*. Quæ impudicarum mulierum corda a libidine ad pudicitiam vertere credebatur. Græci eam Ἀποστροφίαν dixerunt.

5. *Sanctissima*. Castissima. Phæd. III, 10.

transgrediamur[1]. Pythagoræ[2] tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut, quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent; quin etiam interpellati ad reddendam causam, hoc solum respondebant[3], *ipsum dixisse*[4]; magnus honos; sed schola tenus: illa[5] urbium suffragiis tributa[6]. Enixo Crotoniatæ studio ab eo petierunt, *ut senatum ipsorum*, qui mille hominum numero constabat, *consiliis suis uti pateretur*[7]; opulentissimaque civitas tam frequenter venerati[8] post mortem domum, Cereris sacrarium fecit[9]; quantumque illa urbs

1. *Ad ea transgrediamur.* MSS. decem cum Ed. Mog. *transgrediemur.* Deinde Paris. tert. Leid. quint. et Cop. *ad reddendum caussam.* Bit. prim. *hæc sola.*

2. *Pythagoræ.* Vide Laertium in vita; Justin. lib. XX, cap. 4; Quintilianum, XI; Ælianum, lib. IV, cap. 17.

3. *Hoc solum respondebant*, αὐτὸς ἔφη. Manuscripti libri græca verba non habent, sed latine produnt ita, *Hoc solum respondebant, Ipsum dixisse.* Ea verba græcissans sciolus immutare voluit. PIGH. αὐτὸς ἔφα scribit interpres Aristoph. Nubib. CORRAD. Latine exstant hæc verba *ipsum dixisse* etiam in MSS. nostris, Ed. Mog. Ven. et Mediol. sed Aldus, Ascens. et reliqui αὐτὸς ἔφη.

4. *Dixisse.* Vid. Cic. de N. D. 1.

5. *Magnus honos; sed schola tenus: illa.* Mediol. *Magnus honos schola tenus, sed illa.* Præstat alterum, et longe quidem, firmatur etiam MSS. auctoritate.

6. *Suffragiis tributa est.* MSS. duodecim cum edd. Mog. Ven. Mediol. Ascens. delendum verbum substantivum, quod primus addiderat Aldus, admonent.

7. *Pateretur.* Ipse rempubl. administrare noluit, et hortatus est discipulos, ut a fabis abstinerent. Vid. Plut. περὶ παιδ. ἀγ. c. 17.

8. *Venerati.* In significatione passiva.

9. *Post mortem domum ejus Cereris sacrarium fecerunt; namque illa urbs viguit.* In Atrebatensi et Wincheliano, aliisque, *Post mortem domum Cereris sacrarium fecit, quantumque illa urbs viguit;* Pigh. *Opulentissimaque civitas tam frequenter venerati post mortem domum Cereris sacrarium fecit.* Sic Pighius edidit ex MSS. Aldus ediderat, *Tam frequenter venerati post mortem domum ejus Cereris sacrarium fecerunt.* Verbum pluralis num. profectum videtur ab iis, qui putarent *venerati* itidem pluralis num. esse. Iidem et pronomen *ejus* adjecerunt. A codd. Brandeb. *ejus* itidem abest. At hoc repudiato satis apparet, *venerati* casus secundi singularis numeri esse, ut referendum sit ad Pythagoram. Neque novum est talium verborum participia temporis præteriti, significationem passivam habere; Vorst. *Ejus* expungunt MSS. sed *fecerunt* constanter retinent, præter Copes. pro

viguit[1], et dea in hominis memoria, et homo in deæ religione cultus est.

2. Gorgiæ vero leontino[2] studiis literarum ætatis suæ cunctos præstanti, adeo ut primus in conventu poscere, qua de re quisque audire vellet, ausus sit, universa Græcia[3] in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, quum cæterorum ad id tempus auratas collocasset.

3. Eadem gens[4] summo consensu ad Amphiaraum decorandum incubuit[5]; locum, in quo humatus est, in formam conditionemque templi redigendo, atque inde

frequenter, quatuor *frequentem* habent. Sed recte *domum frequenter venerati*, i. e. a. mille senatoribus et tot discipulis, ut explicabat Perizonius.

1. *Quantumque illa urbs viguit. Quantumque* restituit Pighius ex codd. MSS. Estque et in uno cod. Brand. Aldus et Chalcoc. ediderant, *quamque illa urbs vig*. Quid si legatur. *Quamdiuque illa urbs viguit?* Vorst. *Quantumque illa urbs viguit.* MS. *quamque*. Forte *quumque*. Sed non male Vorstius *quam diuque;* Perizon. Harl. uterque Paris. Barb. prim. *quaque illa urbs viguit*. Bit. prim. Leid. quint. *quaque illi urbi.* Unus Ultraj. *quamquam*, alter *quantum; quamquam* Mog.

2. *Gorgiæ vero leontini*, etc. *præstantis.* Sic mutaverat Pighius, quum legeretur, *Gorgiæ vero leontino*, etc. *præstanti*. Sic et MSS. bene. Posuerunt statuam *Gorgiæ leontino*, ut Phæd. Epil. lib. II.

Æsopo ingentem statuam posuere Attici.

Et sic sæpe apud Ciceronem *statua posita alicui in foro, in rostris*, dicitur. De *Gorgia* autem *leontino*, vide quæ notavit Perizonius ad Ælian. lib. I. Var Hist. 23, qui etiam hic ex Cop. probabat *Gorgiæ leontino*, et pro *primus* conjiciebat forte legendum, *protinus*. Sed non opus est ulla mutatione. *Primus* enim revera Gorgias hoc fecit. Cic. de Orat. lib. I, 22. *Quod primum ferunt leontinum fecisse Gorgiam, qui permagnum quiddam suscipere ac profiteri videbatur, quum se ad omnia de quibus quisque audire vellet, esse paratum denunciaret;* et de lib. II. de Fin. 1. *Quorum e numero primus est ausus leontinus Gorgias in conventu poscere quæstionem, id est, jubere dicere, qua de re quis vellet audire.* Quem locum Valerius ante oculos habuisse videtur. — *Leontino*. Vid. Plato in Gorgia; Cic. de Or. III; de Fin. II; Plin. XXXIII, 4.

3. *Universa Græcia.* Vide Olearium ad Philostrat. p. 493.

4. *Eadem gens.* Harl. uterque Paris. Barb. prim. *Eadem etiam gens.* Aliquot MSS. cum Mog. *locum quo humatus est;* non male utrumque Ultraj. prim. et Mog. *Oraculo.*

5. *Incubuit.* Strabo 9 et 16; Pausan. in Attic.; Cic. de Divin. I. Amphiaraus bello thebano subito terræ hiatu fuerat absorptus cum armis et equo. Fuit ille vates clarissimus, olim ab Argonautis accitus.

oracula capi instituendo: cujus cineres[1] idem honoris possident, quod Pythicæ cortinæ[2], quod aheno Dodonæ, quod Hammonis fonti datur[3].

4. Pherenices[4] quoque non vulgaris honos, cui soli omnium feminarum gymnico spectaculo interesse permissum est, quum ad Olympia filium Euclea[5] certamen ingressurum[6] adduxisset, Olympionice patre genita, fratribus eamdem palmam assequutis latera ejus cingentibus.

1. *Cujus cineres.* Sic Pighius, alii *Ejus cineres.* Sed alterum firmant MSS. nostri, et Mog. ed. cum Mediol.

2. *Cortinæ.* Secreto antri Delphici, seu adyto. — *Aheno.* Æreo simulacro in forma columbæ aut lebetis, e cujus tinnitu futura judicabant. Dodona, Epiri oppidum, habuit propinquum quernum nemus, Jovi consecratum, in quo dabant responsa columbæ. — *Fonti.* Num *fronti*? Jam quia Hammoni cornua tribuuntur, in nemore vero Hammonis olim *fons* Solis statuitur (Curt. IV, 7, 22; Mela I, 9.), Torrenius incertus hæret, utrum debeat eligi; *fonti* tamen præfert.

3. *Quod aheno Dodonæ, quod Hammonis fonti datur.* MSS. fere omnes vitiose, *quod Athenæ Dodenæ;* sec. Ultraj. quod *Athenis.* Iidem *quod Hammonis fronti datur.* Mog. *quod Athenis Dodone, quod Hammonis fronti datur.* Verum nihil commune est *Athenis* cum *Dodonæo Oraculo,* quod in Epiro fuisse omnibus est notissimum. Et celeberrimum etiam proverbio *æs Dodonæum.* Quamvis illud magis tinnitu suo, quem radiis solis ictum dabat, quam oraculis datis clarum fuit. Pertinebat tamen ad *Oraculum Jovis Dodonæi. Fronti* vero *Hammonis,* placere multis possit, eo quod *Jupiter Hammon* inprimis notabilis erat *cornibus.* Unde etiam Min. Fel. cap. 21. *Quum Hammon dicitur, habet cornua;* ubi vide notas virorum eruditorum. Interea in *nemore Hammonis* a quibusdam statuitur etiam *fons solis.* de quo Curt. lib. IV, 7, 22, et Mela lib. I, 8, ut incertus hæream, utrum debeat eligi. *Fonti* tamen præfero.

4. *Pherenices.* Plin VII, 11; Æl. X, 2; Pausan. in Eliac.; Æschin. epist. 4; Pindar. Olymp. 7. Apud Græcos mulieri non licebat, Olympicis certaminibus interesse, ubi positis vestibus plerumque luderent.

5. *Euclea.* MSS. *Euclea, Endea, Endia, Emolea, Erellea, Eudeam, Enclia.* A Pausania vocatur *Peisirodos,* vel potius, *Peisidoros;* vide Kuhn. ad Ælian. loco citato.

6. *Certamen ingressum.* Veteres libri, *ingressurum.* Multo correctius; Pigh. *Certamen ingressurum.* Sic denuo Pighius, quum antea excuderetur *ingressum.* Sed res ipsa et fere omnium MSS. et ed. Mog. auctoritas *ingressurum* postulat. Pro *Olympionice* MSS. aliquot *Olympione.* Harl. *Olympionico.*

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER NONUS.

CAPUT I.

De luxuria et libidine in Romanis.

1. C. Sergius Orata. — 2. Clodius AEsopi tragœdi F. — 3. Mulieres legis Oppiæ oppugnatrices. — 4. Cn. Domitius et L. Crassus cens. — 5. Q. Metellus Pius. — 6. C. Scribonius Curio filius. — 7. P. Clodii judicium. — 8. Gemellus viator tribunitius. — 9. L. Catilina.

De luxuria et libidine in Externis.

1. Hannibal pœnus Hamilcaris F. — 2. Volsinienses. — 3. Xerxes Persarum rex. — 4. Antiochus Syriæ rex. — 5. Ptolemæus AEgypti rex. — 6. AEgyptii. — 7. Cyprii.

DE LUXURIA ET LIBIDINE IN ROMANIS.

Blandum etiam malum luxuria, quam accusare aliquanto facilius est, quam vitare, operi nostro inseratur[1], non quidem ut ullum honorem recipiat, sed ut se ipsam recognoscens, ad pœnitentiam impelli possit; jungatur illi

1. *Inseratur.* De *vitiis* unum tantum, nec eum totum libellum addit, præter ea, quæ passim inseruit. Romani plurimum intererat, gentis suæ laudare virtutes. Sed ne dissimulare velle reprehendenda videretur, potiora quædam vitia exemplis ad vitandum proponit. Et satius est, copiosius commendare virtutem, quam fusius enumerare omnia vitiorum genera, ne, quibus ignotorum forte nulla esset cupido, niteren-

9[3]

libido, quoniam ex iisdem vitiorum principiis oritur; neque aut a reprehensione, aut ab emendatione separentur, gemino mentis errore [1] connexæ.

1. C. Sergius Orata [2] pensilia balnea [3] primus facere instituit; quæ impensa levibus initiis cœpta, ad suspensa calidæ aquæ tantum non æquora penetravit.

Idem videlicet, ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria [4] excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diversos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam sæva tempestas incideret, qua non Oratæ mensæ varietate ferculorum abundarent; ædificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit [5], quo recentiore usu conchyliorum frueretur. Ubi dum se publicæ aquæ cupi-

tur in vetitum. Incipit de luxuria, complurium scelerum matre. Præcipue conjuncta est cum quævis audendi libidine. De luxu Romanorum vid. Meursius, Lipsius de admiranda urb. Rom. magnitud., et Petronii fragmentum.

1. *Errore*. Duplici vitio, libidinis, ut cupiat, luxuriæ ut expleat. Mens primo capitur desiderio alicujus rei, deinde expletur.

2. *Sergius Orata*. De hoc vid. Anton. Augustinum ad Fest. in v. *Orata*; et ad exempli hujus illustrationem J. Fr. Gronovii Diatriben ad *Statium*, cap. 39.

3. *Balnea*. Senec. ep. 91, *suspensura balneorum* vocat. Vid. Plin. IX, 54; Macrob. III, 15. An. U. circiter 656.

4. *Maria*. Vivaria sibi struxerat in mari, ubi servarentur varii generis pisces. *Æstuarium* est locus aquis marinis, oppletus ex inundationibus. Vid. Plin. H. N. V, 1; Plin. IX, ep. 33. Hæc æstuaria muris et variis ædificiis a reliquo mari separaverat. — *Separatis* : nonnulli *separatos*. Sed Torrenius ex MSS. octo præfert *separatis* ut pote Valerii stylo convenientius, *diversos greges separatis molibus*: ita utrumque substantivum suo adjectivo jungitur. — *Oratæ*. Alibi *Ornatæ*. Male.

5. *Pressit*. Ostium arctius fecit. Lacus Lucrinus, olim etiam Avernus et Cocytus, in Campania fuit inter Baias et Cumas; prius ob inclusos a saltu vapores infamata, deinde exciso paululum saltu salubrior regio. Lacus erat publicus et publicanis locari solitus. Sed quum proximus esset mari et hoc in illum æstuaret, magna subinde damna piscatores, ipsique publicani faciebant. Inde *deserta ora*. Strabo refert: Agrippam melius struxisse lacus ostium ad arcendum pelagus. Loca sunt saxosa atque aspera, ostreis referta.

dius immergit[1], cum Considio publicano judicium nactus est; in quo L. Crassus, adversus illum causam agens, *errare amicum suum Considium* dixit, *quod putaret Oratam remotum a lacu, cariturum ostreis; namque ea, si inde petere non licuisset, in tegulis[2] reperturum.*

2. Huic nimirum magis Æsopus[3] tragœdus in adoptionem dare filium suum, quam bonorum suorum heredem relinquere debuit, non solum perditæ, sed etiam furiosæ luxuriæ juvenem: quem constat cantu commendabiles aviculas immanibus emptas pretiis, in cœna[4] pro ficedulis ponere; acetoque[5] liquatos magnæ summæ uniones potionibus adspergere solitum; amplissimum patrimonium, tamquam amaram[6] aliquam sarcinam, quam celerrime abjicere cupientem. Quorum alterius senis, alterius adolescentis sectam sequuti[7], longius manus porrexerunt; neque enim ullum finitur vitium ibi, ubi oritur. Inde ab Oceani litoribus attracti pisces; inde infusæ culinis arcæ[8]; censibusque[9] edendi atque bibendi voluptas reperta est.

1. *Immergit.* Id est, dum spatiosis et excelsis ædificiis suis paulo plus Lucrini lacus occupat, et sui solius usibus vindicare conatur, quod publici usus et Considio locatum erat. — *Nactus est.* In controversiam venit.

2. *Tegulis.* Vid. Cicer. Hortensio seu de philos. apud Nonium voc. *Ostrea.* Senec. V. controv. et nat. quæst. III, 17. *Aluere in summis culminibus mentita nemora, et navigabilium piscinarum freta.*

3. *Æsopus.* A. U. circ. 690. Plin. X, 51; IX, 35. Horat. sat. lib. II. — *Tragœdus.* Id est actor tragœdiarum. Aliquot, *tragicus.* Sed *tragicus,* nisi *actor* adjungatur ut apud Livium de Aristone lib. XXIV, de poeta intelligitur. — *Filium.* Quem Plinius, loco citato, singulis convivis ad sorbendum uniones dedisse refert.

4. *In cœna.* Hæc verba quæ desunt in MSS. undecim, Torrenius eradenda putavit; quia *ponere* simpliciter pro, *in cœna ponere*, usurpari solitum.

5. *Acetoque.* Quod etiam Cleopatram fecisse narrant. Macrob. Saturn. lib. II cap. 13.

6. *Amaram.* Gravem, prementem, incommodam.

7. *Sectam sequuti.* *Secta* est institutum, mos. Pighius ex solo Susiano edidit, *sectam sequuti plurimi.*

8. *Arcæ.* Pighius *ostreæ;* Lipsius *artes.* Sed bene se habet lect. *arcæ*, quæ sunt receptacula nummorum, culinis, id est luxuriosis cœnis, parandis exhaustæ.

9. *Censibus.* *Census*, id est, patrimonium.

3. Urbi autem nostræ secundi belli punici finis, et Philippus rex Macedoniæ devictus, licentioris vitæ fiduciam dedit[1]. Quo tempore matronæ Brutorum [2]domum ausæ sunt obsidere, qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quam feminæ tolli cupiebant; quia his nec veste varii coloris uti, nec auri plus semuncia[3] habere, nec juncto vehiculo propius urbem mille passus, nisi sacrificii gratia, vehi permittebat; et quidem obtinuerunt, ut jus per continuos viginti annos servatum aboleretur. Non enim providerunt seculi illius viri, ad quem cultum tenderet insoliti cœtus pertinax studium; aut quo se usque effusura esset legum victrix audacia: quod si animi muliebris apparatus intueri potuissent, quibus quotidie aliquid novitatis sumptuosius adjectum est, in ipso introitu ruenti luxuriæ obstitissent.

Sed quid ego de feminis ulterius loquor? quas et imbecillitas mentis, et graviorum operum negata affectatio, omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre; quum temporum superiorum et nominis et animi excellentes viros, in hoc priscæ continentiæ ignotum diverticulum[4] prolapsos videam; idque jurgio ipsorum pateat.

4. Cn. Domitius L. Crasso[5] collegæ suo altercatione orta objecit, quod columnas Hymettias in porticu domus

1. *Dedit.* Ann. Urb. 558. Liv. XXXIV; Zonaras.

2. *Brutorum.* Qui tunc tribb. pl. erant.

3. *Plus semiuncia.* MSS. septem plus *semiunciam*, id est, quam semiunciam; quam loquendi formulam sat multis exemplis comprobarunt N. Heinsius et Burmannus ad Vell. II, 1, 4. — *Propius.* In loco, qui non distaret ab urbe ultra mille passus.

4. *Diverticulum.* Hoc est, errorem, et de recta via declinationem.

5. *Crasso.* Ann. Urb. 661. Plin. XVII, 1; XXXVI, 3. Domitius et Crassus censuram post consulatum gessere: increpuitque hunc ille, quod censor tanti habitaret, proque domo ejus ingentem pecuniam promisit. Domum autem non emerat, sed hereditate erat consequutus. — *Hymettias.* Id est marmoreas ex Hymetto, Atticæ monte. Vid. Strab. VIII; Horat. od. II, 18, 3.

haberet. Quem continuo Crassus, *quanti ipse domum suam æstimaret*, interrogavit. Atque ut respondit, *sexagies*[1] *sestertio: Quanto ergo eam*, inquit, *minoris fore existimas, si decem arbusculas*[2] *inde succidero? Ipso tricies sestertio*, ait Domitius. Tunc Crassus: *Uter igitur luxuriosior est? Egone, qui decem columnas centum millibus nummum emi: an tu, qui decem arbuscularum umbram tricies sestertium summa compensas?* Sermonem oblitum Pyrrhi[3], immemorem Hannibalis, jamque transmarinorum stipendiorum abundantia oscitantem: aliquanto[4] tamen insequentium seculorum ædificiis et nemoribus angustiorem; quoniam inchoatam a se lautitiam posteris relinquere, quam a majoribus acceptam continentiam retinere maluerunt.

5. Quid enim sibi voluit princeps suorum temporum Metellus Pius[5], tunc quum in Hispania adventus suos ab hospitibus aris et ture excipi patiebatur? quum[6] Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur? quum immanibus[7] epulis apparatissimos interponi ludos sinebat?

1. *Sexagies.* Meursius conjicit legendum, *sexcenties:* Plinium l. c. adeo de sestertio *millies* narrare. Sed sic non responderet τῷ *tricies.*

2. *Arbusculas.* Eæ fuere loti, parvula ramorum opacitate lascivæ.

3. *Sermonem oblitum Pyrrhi.* Per exclamationem in utroque Brand. et libris fere omnibus hæc efferuntur. Sensus autem est, sermonem istum Domitii et Crassi indicio esse, quod eorum temporum, quibus Pyrrhus cum Romanis bellum gessit, obliti tunc fuerint: olim enim permulta Romani frugalitatis exempla exhibuerunt, et corruptionibus nulla patuit domus. — *Hannibalis.* Qui dixisse fertur: priusquam luxu caperentur, Romanos capi non posse.

4. *Aliquanto .. angustiorem; quoniam inchoatum.* Hæc lectio a Pighio, ex Sus. et Cauch. consarcinata, quum plerique MSS. habent : *et quanto tamen .. angustiorem. Quam* (pro *quam* unus et alter *ritum*) *introduxerunt atque* (nonnulli *itaque*) *inchoatam.* Unde Perizonius conjicit: *Et quanto tum angustiorem ritum introduxerunt, qui inchoatam.* Sed Kapp. malit: *Et quanto tamen ... angustiorem ritum introduxerunt? Atqui inchoatam.*

5. *Pius.* Ann. U. 673. Macrob. III, 13; Plut. in Pomp.; Sallust. hist. II.

6. *Attalicis.* Auro intextis; aurum enim intexere, Attalus invenit. Plin. VIII, 48.

7. *Immanibus.* Sumptuosissimis.

quum palmata[1] veste convivia celebrabat, demissasque lacunaribus aureas coronas velut cælesti capite recipiebat? Et ubi ista? non in Græcia, neque in Asia, quarum luxuria severitas ipsa corrumpi poterat; sed in horrida et bellicosa provincia[2], quum præsertim acerrimus hostis Sertorius, romanorum exercituum oculos lusitanis telis perstringeret: adeo illi patris[3] sui numidica castra exciderant! Patet igitur, quam celeri transitu luxuria[4] affluxerit; nam cujus adolescentia priscos mores vidit, senectus novos orsa est.

6. Consimilis mutatio in domo Curionum exstitit[5]. Siquidem forum[6] nostrum et patris gravissimum supercilium, et filii sexcenties sestertium æris alieni adspexit, contractum famosa injuria nobilium juvenum. Itaque eodem tempore, et in iisdem penatibus diversa secula habitarunt, frugalissimum alterum, alterum nequissimum.

7. P. autem Clodii judicium[7] quanta luxuria et libidine abundavit? in quo ut evidenter incesti crimine nocens reus absolveretur, noctes matronarum et adolescentium nobilium, magna summa emptæ, mercedis loco judicibus

1. *Palmata.* Intextis palmis: non tunica, sed toga adeo, quæ fuit triumphantium insigne. V. Liv. X; Martial. VII, 1. — *Demissas lacunaribus.* Sallustius Hist. II. *Præterea quum sedenti transenna demissum victoriæ simulacrum cum machinato strepitu tonitruum, coronam capiti imponebat.*

2. *Provincia.* Hispania.

3. *Patris.* Qui Jugurtham superaverat. — *Castra.* Disciplina militaris a luxuria plane aliena.

4. *Luxuria affluxerit.* Nempe Metellus, nam *luxuria* est casus sextus, neutiquam primus, ut patet ex seq.

5. *Exstitit.* Cicero in Brut.; Plutarch. in Cæs.; Appian. Civ. 2; Dionys. 40. A. U. circ. 700. Curio, ad quem Cic. litteras dedit, patres habuit continentissimos. Ipse primo trib. pl. Cæsari restitit; deinde quum luxuriose vivendo æris alieni plurimum contraxisset, illi facile conciliatus est.

6. *Forum.* Cives romani, continens pro contento. — *Juvenum.* Hos, quibus abuteretur, muneribus corrupit. Præcipue respicere videtur auctor ad infamem amorem Cæsonis erga Antonium, de quo inprimis Cicer. Phil. II, 18.

7. *Judicium.* Quo a Milone fuit accusatus, quod sacra Bonæ Deæ

erogatæ sunt[1]. Quo in flagitio tam tetro, tamque multiplici, nescias primum quem detestere; an qui istud corruptelæ genus excogitavit, an qui suam pudicitiam sequestrem perjurii fieri passi sunt[2], an qui religionem stupro permutarunt.

8. Æque flagitiosum illud convivium, quod Gemellus tribunitius viator[3], ingenui sanguinis, sed officii intra servilem habitum deformis, Metello Scipioni consuli, ac tribunis plebis magno cum rubore civitatis comparavit. Lupanari enim domi suæ instituto, Muciam[4] et Fulviam, tum a patre, tum a viro utramque inclytam, et nobilem puerum Saturninum in eo prostituit. Probrosa patientiæ corpora[5], ludibrio temulentæ libidini futura! epulas consulibus et tribunis non celebrandas, sed vindicandas!

9. Præcipue vero Catilinæ libido scelesta; nam vesano amore Aureliæ Orestillæ correptus[6], quum unum impedi-

violasset. Vid. supra, et Dionys 37; Senec. ad Lucil. ep. 98; Cic. Att. 1.

1. *Erogatæ sunt*. Ut cujusque judicis studium flagrabat, sic ejus libidini obtemperavit, ut aliis scorta, aliis pecuniam præberet, dummodo sibi obnoxios redderet, a quibus absolveretur; neque sumptibus, neque modestiæ pepercit.

2. *Passi sunt*. Quia, dum pudicitiam suam prostituerunt, fecerunt ut judices pejerarent, nihil se gratiæ daturos in judicio Clodii. Sic enim jurati sententias dicebant. — *Religionem*. Justitiam, quæ violari sine deorum contemptu non potest; seu jusjurandum servandum.

3. *Viator*. Minister tribunorum, qui ex agris senatores in curiam accire consueverat. Gemellus ad servile officium descenderat, quale erat viatorum. A. U. 701. — *Metello Scipioni*. Ita Pighius ex conjectura reposuit. Omnes vero libri habent, *Metello et Scipioni coss.* qui vero in fastis non reperiuntur. Perizonius ergo conjicit, *Atilio et Scipioni coss.*, qui anno 644 consules fuere. — *Rubore*. Quod summi magistratus, in quibus imperii majestas conspiciebatur, omni obscœnitati se traderent.

4. *Muciam*. Scævolæ filiam et Pompeii M. uxorem, quam adulteram repudiavit. Fulvia fuit Clodii et deinde Antonii uxor.

5. *Probrosa patientiæ corpora*. Hanc lectionem, quam Pighius in margine notaverat, recte Colerus in textum recepit pro nonnullorum librorum *probrosa sapientiæ corpora*, vel quod pejus est, *probrosa prosapiæ corpora*, aut *prosapiæ corpora*, omissa voce *probrosa*.

6. *Amore correptus*. Alii *corruptus*. Male. Vid. VIII, 1. Damnat. 8.

mentum videret, quo minus nuptiis inter se jungerentur, filium suum, quem et solum, et ætate jam puberem habebat, veneno sustulit: protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit[1], ac novæ maritæ orbitatem suam loco muneris erogavit. Eodem deinde animo civem[2] gerens, quo patrem egerat, filii pariter manibus, et nefarie attentatæ patriæ pœnas dedit.

DE LUXURIA ET LIBIDINE IN EXTERNIS.

1. At campana luxuria perquam utilis civitati nostræ fuit[3]; invictum enim armis Hannibalem[4] illecebris suis complexa, vincendum romano militi tradidit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris usu lasciviore, ad somnum et delicias evocavit; ac tum demum fracta et contusa punica feritas est, quum Seplasia[5] ei et Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt[6], sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter et corporis vires expugnantur? adeo ut nescias, ab hostibusne, an ab illis capi perniciosius habendum sit.

2. Quæ etiam Volsiniensium urbem gravibus et eru-

1. *Accendit.* Illico post necem filii uxorem duxit Orestillam, ut ex rogo quasi filii tædam, quæ nubentibus præferri soleret, accenderet.

2. *Civem.* Patriam ipsam perdidisset, ni Ciceronis restitisset sapientia. A. U. 699. Sall. Cat. 15.

3. *Nostræ fuit.* A. U. 537. Liv. XXIII; Cic. Rull. II; Zonaras.

4. *Hannibalem.* Nam Capuam in hiberna exercitum deduxerat. — *Tradidit.* Alii *tribuit.* Minus bene.

5. *Seplasia.* Forum fuit Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant; inde *Seplasiarius*, qui unguenta habet venalia. Albæ quoque magnus numerus myropolarum fuit: unde Hannibalis castra etiam *Seplasia* et *Albana* dicuntur. Juxta alios vicus vel forum Capuæ *Albanum* vocatum est, desumpto ab antiqua Alba nomine.

6. *Languescunt.* Alii *relanguescunt.* Sic Cæsar Gall. II, 15.

bescendis cladibus implicarunt[1]. Erat opulenta, erat moribus et legibus ornata[2], Hetruriæ caput habebatur: sed postquam luxuria prolapsa est, in profundum injuriarum et turpitudinis decidit, ut servorum se insolentissimæ dominationi subjiceret; qui[3] primum admodum pauci senatorium ordinem intrare ausi, mox universam rempublicam occupaverunt. Testamenta ad arbitrium suum scribi jubebant, convivia cœtusque ingenuorum fieri vetabant, filias dominorum in matrimonium ducebant. Postremo lege sanxerunt, ut stupra sua in viduis pariter ac nuptis impunita essent; ac ne qua virgo ingenuo[4] nuberet, cujus castitatem non ante ex numero ipsorum aliquis delibasset.

3. Age, Xerxes[5] opum regiarum ostentatione eximia, eo usque luxuria gaudens, ut edicto præmium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset, quanta, dum deliciis nimiis capitur, amplissimi imperii ruina evasit?

4. Antiochus quoque Syriæ rex nihilo continentioris[6] exempli : cujus cæcam et amentem luxuriam exercitus

1. *Implicarunt*. A. U. 428. Oros. IV, 5; Zonaras; Flor. I, 21; Aurel. Vict. 36.

2. *Ornata*. Alii, *ordinata*, i. e. constituta. Quod prætulerit Kappius. — *Caput*. Tria *capita* Etruriæ antiqui esse voluerunt : Aretium, Perusium et Volsinii.

3. *Qui*. Videntur hi fuisse liberti, quum senatum intrarent, ut satis patet ex Floro. I, 21.

4. *Ingenuo*. Multi *ingenua*. Sed Torrenius *ingenuo* significantius judicat; ut subintelligas, ejus castitatem non fuisse delibatam, si nuberet uni ex servorum numero.

5. *Xerxes*. Omnes de Xerxe Darii filio hæc intelligunt, de cujus superbia, arrogantia et tyrannide quum multa Herodotus scribat, nihil tamen de hac luxuria. Sed Glareanus putat Valerium de Xerxe altero loqui, qui fuit octavus Persarum rex post Cyrum. — *Eximia*. Vid. Cic. Tusc. V, 7. — *Gaudens*. Sic Torrenius reposuit, motus disputatione Perizonii, et auctoritate MSS. Pighius et alii ediderunt *gaudebat*, et post *reperisset* distinctionem maximam posuerunt. — *Ruina*. Qui Neptuno Jovique catenas imponere minatus erat, brevi fere omnia amisit. Confer de eo Ciceron. Tuscul. V, 7, et De legg. II, 10.

6. *Continentioris*. Plerique *contemtioris*, vel *contentioris*. Male. — *Exempli*. An. U. 625 circ. Justin. 38; Liv. LIX. Quid Hannibal de splendido Antiochi exercitu dixerit, neminem fugit.

imitatus, magna ex parte aureos clavos [1] crepidis subjectos habuit, argenteaque vasa ad usum culinæ comparavit, et tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Avaro potius hosti præda optabilis, quam ulla ad vincendum strenuo mora.

5. Jam Ptolemæus [2] rex accêssio vitiorum suorum vixit, ideoque *Physcon* [3] appellatus est; cujus nequitia quid nequius? sororem natu majorem communi fratri nuptam, sibi nubere coegit: postea deinde filia ejus per vim stuprata, ipsam dimisit, ut vacuum locum nuptiis puellæ faceret.

6. Consentaneus igitur regibus suis gentis Ægyptiæ populus: qui ductu Archelai adversus A. Gabinium [4] mœnibus urbis egressus, quum *castra vallo atque fossa cingere* juberetur, universus succlamavit, *ut id opus publica pecunia faciendum locaretur*. Quapropter deliciis tam enerves animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.

7. Sed tamen effeminatior multitudo Cypriorum [5], qui

1. *Clavos*. Sic Plutarch. in Alex. et Athenæus dipnosoph. 12, mentionem faciunt Agnonis Teii, qui aureos aut argenteos clavos in crepidis gestaverit. Vid. Plin. XXXIII, 3. Cæterum et clavos ferreos calceis et crepidis subjectos habere, olim vulgare fuit. — *Textilibus*. Intertextis ex auro et argento, more aulæorum sumptuosorum.

2. *Ptolemæus*. An. U. circ. 625. Justin. XXXVIII; Strabo XVII; Joseph. Ant. II. — *Accessio*. Gronovius ad Liv. XLV, 7, sic exponit: Præcipuum in Ptolemæo non fuit ipse, sed vitia, quorum ipsum accessionem vel partem diceres. Alii *accessione*.

3. *Physcon*. Inflatus, ventricosus, quem nonnulli etiam male Evergetem II nominant.

4. *Gabinium*. A. U. 698. Dionys. 39; Liv. CV. Auletes propter flagitia ab Alexandrinis ejectus, Romam confugit, et favente Pompeio petiit a senatu, ut restitueretur in regnum. Quem deinde post multas controversias (Vid. Cic. ad Lentul.), victo atque interempto Archelao, restituit Gabinius.

5. *Cypriorum*. Vid. Athenæus, V. Cyprus inter alias orbis terrarum insulas famosissima, divitiis abundans et luxui plurimum dedita, ut Veneri sacram eam fuisse constet. De qua vid. Strabo in geograph.

reginas suas, mulierum corporibus velut gradibus constructis, quo mollius vestigia pedum ponerent, currus conscendere æquo animo sustinebant. Viris enim, si modo viri erant, vita carere, quam tam delicato imperio obtemperare satius fuit.

CAPUT II.

De crudelitate Romanorum.

1. L. Cornelii Sullæ Dictat. — 2. C. Marii cos. 7. — 3. L. Julii Damasippi præt. — 4. Munatii Flacci.

De crudelitate Externorum.

1. Carthaginiensium. — 2. Hannibalis pœni. — 3. Mithridatis regis. — 4. Numulizinthis Thraciæ regis. — 5. Ptolemæi Physconis regis. — 6. Darii Ochi Persarum regis. — 7. Artaxerxis Ochi regis. — 8. Atheniensium. — 9. Perilli siculi. — 10. Hetruscorum. — 11. Quorumdam barbarorum.

DE CRUDELITATE ROMANORUM.

Hæc societas[1] vitiorum lascivi vultus, et novæ cupiditati inhærentium oculorum, ac delicato cultu affluentis, perque varios illecebrarum motus volitantis animi; crudelitatis vero horridus habitus, truculenta species[2], violenti spiritus, vox terribilis, omnia minis et cruentis imperiis referta: cui silentium donare, incrementum est adjicere. Etenim quem modum sibi ipsa statuet, si ne sugillationis

— *Mulierum.* Mulieres istæ κλιμακίδες dictæ. Vid. Athenæum, V.

1. *Hæc societas.* Hæc usque ad *volitantis animi* in MSS. et edd. antiquis capiti præcedenti annectuntur. — *Oculorum.* Nimii plerumque cultus et affluentiæ vitium est libido cum luxuria, barbaræ ruditatis crudelitas. Virtus inter devia ad dextram sinistramve via media incedit, quæ est placida humanitas cum severa sapientia sororio vinculo nexa. — *Affluentis.* Non *affluente*; nam non cultus, sed animus ex mente Valerii est affluens.

2. *Species.* Forma faciei.

quidem frenis fuerit revocata? ad summam, quum penes illam sit timeri, penes nos sit odisse.

1. L. Sulla, quem neque laudare, neque vituperare, quisquam satis digne potest[1], quia dum quærit victorias, Scipionem se populo romano; dum exercet[2], Hannibalem repræsentavit: egregie namque auctoritate nobilitatis[3] defensa, crudeliter totam urbem atque omnes Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit. Quatuor legiones contrariæ partis[4], fidem suam sequutas, in publica villa [quæ in Martio campo erat], nequidquam fallacis dexteræ misericordiam implorantes, obtruncari jussit. Quarum lamentabiles quiritatus trepidæ civitatis aures receperunt[5]: lacerata ferro corpora Tiberis impatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere coactus est. Quinque millia Prænestinorum[6] spe salutis per P. Cethegum data, extra mœnia municipii evocata, quum abjectis armis humi corpora prostravissent, interficienda, protinusque per agros disper-

1. *Potest.* Hæc fere verba leguntur etiam apud Paterculum II. Sicut in Alcibiade summæ virtutes cum summis vitiis conjunctæ, sic in Sulla; sed hujus longe atrocior fuit crudelitas, quum iste tantum libidinosæ magnificentiæ et dominatui quidem, sed non sic studeret, ut in cives sæviret. Patriæ potius caritas semper ejus inhærebat animo.

2. *Dum exercet.* Scilicet, victoriam. Pighius, *dum sævitiam exerc.*, quod est in novem MSS. et aliquot edd. Sed ex glossa. — *Hannibalem.* Tacite sugillat Hannibalem, quod victoria uti nescierit. Sulla autem victorias suas exercuit crudeliter, imperium occupavit, et cædibus, proscriptionibus et rapinis omnem reipubl. faciem immutavit sævissimus. Tacit. Ann. XVII.

3. *Nobilitatis.* Contra Marium, plebis fautorem. — *Inundavit.* E. g. apud Sacriportum, apud portam Collinam, LXX et amplius millia Sylla concidit, ut testatur Florus.

4. *Partis.* Ann. Urb. 671. Liv. LXXXVIII; Plut.; App. Civ. I; Varro de R. R. III. — *Erat.* Hæc verba glossema videntur. Quem enim fugerit, Valerii ævo, ubi *villa publica* esset? In numero interfectorum civium scriptores dissentiunt.

5. *Receperunt.* Perizonius conjicit *recipere*, ut ostendatur invitos hoc audiise Romanos. Sed non favent MSS. et invitos audiise Romanos satis liquet ex eo quod additur, *trepidæ civitatis aures.*

6. *Prænestinorum.* Quia minorem Marium receperant, quum a Cethego Sullæ præfecto obsiderentur.

genda curavit. Quatuor millia et septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos in tabulas publicas retulit : videlicet ne memoria tam præclaræ rei dilueretur[1]; nec contentus in eos sævire, qui armis a se dissenserant, etiam quieti animi cives, propter pecuniæ magnitudinem, per nomenclatorem[2] conquisitos, proscriptorum numero adjecit; adversus mulieres quoque gladios destrinxit, quasi parum cædibus virorum satiatus: id quoque inexplebilis feritatis indicium est. Abscissa miserorum capita, modo non vultum ac spiritum retinentia, in conspectum [3]suum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quam porro crudeliter se in M. Mario prætore [4]gessit! quem per ora vulgi ad sepulcrum [5] Lutatiæ gentis pertractum, non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, et singulas corporis partes confringeret. Vix mihi verisimilia narrare videor. At ille etiam M. Plætorium, quod ad ejus supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit; novus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Sed mortuorum umbris saltem pepercit? minime; nam C. Marii,

1. *Dilueretur*. Bit. prim. *deleretur*. Perizonius conjicit *dilaberetur*, quod Torrenio satis arridet.

2. *Nomenclatorem*. Nomenclator dicitur, qui nomina civium tenens, ea principibus per urbem incedentibus (aut imperatoribus militum nomina) subjiciebat, ut unumquemque nominatim salutarent. His enim artibus principes civium gratiam inire studebant.

3. *Suum*. E. c. Scipionis, Norbani aliorumque multorum ad se delata capita in ejus atrio jussit affigi; unde domus ejus crudelitatis officina est appellata.

4. *Gessit*. Vid. Senec. de Ira III, 18; Lucan. II, 175; Oros. III, 21; Cic. de Leg. II; et Sallustium nostræ Collectionis, pag. 118.

5. *Sepulcrum*. Catuli nepotis sui. Curavit, ut per singula membra moreretur. Fere omnes tyrannos crudelitate superasse et omnem prorsus humanitatem exuisse videtur. Marius tamen leviorem hanc Sullæ feritatis invidiam sua crudelitate fecit. Uterque monstrum horrendum vocari meretur, quos natura, ut detestandum posteris exemplum sisteret, videtur procreasse. — *Infelicis*; Marii. Copes. et alii *infelices*. Sic infra ext. 11 : « Cibo et potione infelicem spiritum prorogare. »

cujus, etsi postea hostis, quæstor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alveum sparsit. En quibus actis *Felicitatis*[1] cognomen assequendum putavit!

2. Cujus tamen crudelitatis C. Marius invidiam[2] levat; nam et ille nimia cupiditate persequendi inimicos, iram suam nefarie destrinxit, L. Cæsaris[3] consularis et censorii nobilissimum corpus ignobili sævitia trucidando, et quidem apud seditiosissimi et abjectissimi hominis bustum; id enim malorum miserrimæ[4] tunc reipublicæ deerat, ut Vario Cæsar piaculum caderet. Pæne tanti victoriæ ejus non fuerunt: quarum oblitus, plus criminis domi, quam laudis in militia[5], meruit. Idem caput M. Antonii[6] abscissum lætis manibus inter epulas per summam animi ac verborum insolentiam aliquamdiu tenuit, clarissimique et civis et oratoris sanguine contaminari mensæ sacra passus est; atque etiam P. Annium[7], qui id attulerat, in sinum suum, recentis cædis vestigiis adspersum, recepit.

1. *Felicitatis*. Sic Torrenius. Pighius et alii dederunt *felicis*. Vid. VI, 4, 4. De Sullæ nimia crudelitate increbuit versiculus : *Aspice* Felicem *sibi, non tibi, Romule*, Sullam.

2. A. U. 666. Appian. Civ.; Cic. de Orat. III; Liv. LXXX; Luc. I, 100; Flor. III, 2. Quum urbe post exsilium esset potitus, plurimi principum cæsi, uterque Crassus, Cæsar, Fimbria et alii; multi sibi ipsi mortem intulere. Octavii cos. caput pro rostris, Antonii consularis in ipsius Marii mensa expositum. Bæbium atque Numitorium per medium forum unci traxere carnificum. Plurima senatus funera intra cal. et id. Jun. (nam id. decessit Marius) argumento esse poterant, num Marius mitior Sulla fuisset?

3. *Cæsaris*. Oratoris. Vid. Cic. de Or. II. — *Hominis*. Nomen ei fuit Vario, quod in quasdam edd. irrepsit.

4. *Miserrimæ*. Alibi *miseriæ*, quod Vorstio magis placet. Sed lectionem nostram veram esse vel ipsa verborum collocatio evincere videtur. Sic enim optime *tunc* cum *miserrimæ* conjungitur, non æque suaviter cum *deerat*, si legas *miseriæ*. — *Piaculum*. Sacrificium pro peccatis. Vid. Virg. Æn. VI, 153: *Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto*.

5. *In militia*. Pighius *militiæ*, præter necessitatem.

6. *Antonii*. Præcipuus suæ ætatis fuit orator, quem cum Crasso de eloquentia disputantem Cicero in Or. introducit.

7. *Annium*. Perizonius notavit sic

3. Damasippus[1] nihil laudis habuit, quod corrumperet; itaque memoria ejus licentiore accusatione perstringitur: cujus jussu principum civitatis capita hostiarum capitibus permixta sunt; Carbonisque Arvinæ truncum corpus patibulo affixum gestatum est: adeo aut flagitiosissimi hominis prætura multum, aut reipublicæ [2] majestas nihil potuit!

4. Munatius etiam Flaccus[3], Pompeiani nominis acrior quam probabilior defensor, quum ab imperatore Cæsare in Hispania inclusus mœnibus Atteguensium obsideretur, efferatam crudelitatem suam truculentissimo genere vesaniæ exercuit; omnes enim ejus oppidi cives, quos studiosiores Cæsaris senserat, jugulatos muris præcipitavit; feminas quoque, citatis nominibus virorum, qui in contrariis castris erant, ut cædes conjugum suarum cernerent, maternisque gremiis superpositos liberos trucidavit, infantesque alios in conspectu parentum humo infligi[4], alios superjactatos pilis excipi jussit. Quæ auditu etiam intole-

etiam vocari illum a Plutarch. in Mario, p. 314.

1. *Damasippus.* A. U. 671. Oros. V, 19; Liv. LXXXVI; Vellei. II, 26, 2. L. Damasippus prætor ex voluntate C. Marii consulis, quum senatum contraxisset, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit, et inter cæteros Q. Mutium Scævolam, pont. max. divini humanique juris interpretem, seu, ut vult Velleius, *auctorem* celeberrimum.

2. *Majestas.* Omnium, qui præerant justitiæ, auctoritas nihil potuit, qui permiserunt, Damasippum contra jus in innocentes sævire.

3. *Flaccus.* Ann. U. 708. Hirtius de Bell. Hisp. 7. et 22. Flaccus ille in omni vita Catonem imitari volebat, et quamvis longe ab honesta illius severitate abesset, licentius tamen plerumque loquebatur. Velut quum Pompeius, a consulibus admonitus, ut videret, ne crescentes Cæsaris opes reipubl. essent periculo, dixisset : otiosi sint; se, quum primum pede terram percusserit, totum orbem commoturum; deinde autem maxima Cæsaris potentia ingravescente periculum instaret, Flaccus Pompeio dixisse fertur : *percute nunc, Pompei, pede terram.* — *Atteguensium.* Attegua, Hispaniæ oppidum.

4. *Infligi.* Torrenio arridet τὸ *infigi*, ut opponat alios in sublime jactos pilis exceptos, alios humi infixos, hastis videlicet ita trajectos, ut illæ terris infixæ manerent. Vid. Sil. It. VII, 612. sq.

rabilia, romano jussu, Lusitanis manibus administrata sunt: cujus gentis præsidio Flaccus vallatus, divinis operibus vecordi pertinacia resistebat.

DE CRUDELITATE EXTERNORUM.

1. Transgrediamur[1] nunc ad illa, quibus, ut par dolor, ita nullus nostræ civitatis rubor inest: Carthaginienses Atilium Regulum[2] palpebris resectis, machina, in qua undique præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter et continuo tractu doloris necaverunt: tormenti genus haud dignum passo, auctoribus dignissimum! Eadem usi crudelitate in milites[3] nostros, maritimo certamine in suam potestatem redactos, navibus substraverunt, ut earum carinis ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent; tetro facinore pollutis classibus ipsum mare violaturi.

2. Eorum dux Hannibal[4], cujus majore ex parte virtus sævitia constabat, in flumine Vergello corporibus romanis ponte facto, exercitum traduxit; ut æque[5] scelestum terrestrium Carthaginiensium copiarum egressum terra, quam maritimarum Neptunus experiretur. Idem captivos nostros oneribus et itinere fessos jam, prima pedum parte succisa

1. *Transgrediamur.* MSS. octo *transgrediemur.* Vid. VIII, 4, 2.

2. *Regulum.* A. U. 503. Cic. Off. III, 27; in Pison. 18; de Fin. V, 27; Liv. XIX; Gell. VI, 4; Aurel. Vict. 40; Senec. de Prov. 3; Sil. VI, 529; Horat. Od. III, 5, 31; Flor II, 2; supra, I, 1, 14. — *Machina.* Ita Torrenius edidit ex antiquissimis edd. et pluribus MSS. Alii *machinæ.* Sed vid. II, 7, 15, *carcere inclusit;* VI, 8, 1, *servili nomine inclusit;* infra ext. 9, *quo inclusi.*

3. *Eadem usi crudelitate in milites.* Sic ex mente Perizonii, et adstipulantibus MSS. restituit Torrenius. Nam alii, quibus hæc periodus longior immerito visa est, ediderant: *Eadem usi sunt credulitate in milites nostros, quos.* — *Navibus.* Varro IV, narrat: Pœnum captivos crudelissime propalangis carinis subjecisse.

4. *Hannibal.* A. U. 537. Flor. II, 6, 18; Sil. VIII, 670; Plin. VIII, 7; Zonaras; Just. XXXII, 4. — *Vergello.* Flumen Apuliæ.

5. *Æque.* Ut pariter terram ter-

relinquebat; quos vero in castra perduxerat, paria fere fratrum et propinquorum jungens, ferro decernere[1] cogebat : neque ante sanguine explebatur, quam ad unum victorem omnes redegisset[2]. Justo ergo illum odio, verumtamen tardo supplicio, senatus Prusiæ regis factum supplicem ad voluntariam mortem compulit.

3. Tam hercle, quam Mithridatem regem[3], qui una epistola octoginta millia civium romanorum, in Asia per urbes negotiandi gratia dispersa, interemit, tantæque provinciæ hospitales deos injusto, sed non inulto cruore respersit : quoniam cum maximo cruciatu, veneno[4] repugnantem spiritum suum tandem succumbere coegit; simulque piacula crucibus[5] illis dedit, quibus amicos suos auctore Gauro spadone, libidinosus obsequio, scelestus imperio affecerat.

4. Numulizinthis[6] Diogiridis filii Thraciæ regis etsi

restres copiæ polluerent, atque primo bello punico maritimæ crudelitate mare corruperant.

1. *Ferro decernere.* Captivos ita tractare Pœnorum modo non fuit proprium, ut docet eruditissimus Casaubon. ad Suet. Aug. 13.

2. *Redegisset.* Alia crudelitatis ejus exempla hæc sunt : inter cadaverum strues in cannensi clade mensas parasse dicitur, ut non minus cæsorum sanguine, quam epularum voluptate satiaretur. Discedens quoque ex Italia, quum ad ferendam opem patriæ revocaretur, omnes italici generis, qui in Africam illum sequi abnuentes concesserant in Laciniæ Junonis delubrum, inviolatum ad eam diem, in templo ipso fœde crudeliterque interemit.

3. *Regem.* Ann. U. 665 et 690. Liv. LXXVIII; Plut. in Pomp. — *Octoginta.* Juxta Plutarchum CL millia. De numero non conveniunt auctores.

4. *Veneno.* Gellius XVII, 16, se ipsum interemisse gladio, Aurelius ab immisso Gallo, quem in cædem suam adjuverit, esse gladio interemptum, narrant, quum XL annos romano restitisset imperio.

5. *Crucibus.* Suppliciis et tormentis. — *Gauro.* Hunc in deliciis Mithridates habuit, ad cujus nutum nihil non facere paratus erat. Hic ergo multos regis amicos, qui tam fœdum regiæ libidinis ministerium periniquo animo ferebant, de medio tollendos curavit.

6. *Numulizinthis Diogiridis filii.* Nomen Numulizinthis in MSS. varie scribitur. Pro *filiæ* Kappius in textum recepit *filii*, ex auctoritate complurium MSS. et edd. nec non, quia *Numulizinthes* virile nomen est, ut forma ejus præfert. Tum si hæc

minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies sævitiæ facit: cui neque vivos homines medios secare, neque parentes liberorum vesci corporibus nefas fuit.

5. Iterum Ptolemæus Physcon [1] emergit, paulo ante libidinosæ amentiæ teterrimum exemplum; idem inter præcipua crudelitatis indicia referendus. Quid enim hoc facto truculentius? filium suum nomine [2] Memphitem, quem ex Cleopatra, eadem sorore et uxore, sustulerat, liberalis formæ optimæque spei puerum, in conspectu suo occidi jussit: protinusque caput ejus et pedes præcisos, et manus in cista chlamyde opertos pro munere natalitio matri misit; perinde quasi ipse cladis, quam illi inferebat, expers, ac non infelicior, quod in communi orbitate Cleopatram miserabilem, cunctis se invisum reddiderat: adeo cæco furore summa [3] quæque effervescit crudelitas, quum munimentum ex se ipsa reperit! Nam quum animadverteret, quanto sui odio patria teneretur, timori remedium scelere petivit; quoque tutius plebe trucidata regna-

a femina essent acta, haud dubie aliter loquutus esset, reginam vocasset, et rei indignitatem auxisset, quod talia a femina patrarentur. Cæterum forsan altius mendum latet, et hic Thrax idem est, qui dicitur Ζιβέλμιος, vel Ζισέλμιος Διηγύλιος υἱος a Diodoro. De eo certe similia narrantur. — *Feritas.* Huc pertinet, quod Persarum Schah Abbas dixisse fertur. Quum in conspectu regis et lusitanorum legatorum quidam malefici horrendis suppliciis adficerentur, et inter alia cujusdam scinderetur venter, et legati oculos a tam atroci spectaculo averterent; rex: *immane hoc quidem*, inquit, *sed sibi cum feris bestiis rem esse.* Vid. Thevenoti itiner. II, 151.

1. *Physcon.* Ann. U. circ. 625. Liv. LIX; Justin. XXXVIII, 8; Joseph. Ant. II.

2. *Memphitem.* Pighius et alii *Menephitem.* Sed *Memphites* vocatur a Diodoro siculo in excerptis Peiresc. Vid. quoque Berneccer. ad Just. XXXVIII, 8.

3. *Summa quæque... crudelitas.* Id est, sævissimus quisque: Valerius enim amat abstracta. Tamen *summa crudelitas* intelligitur a Torren. crudelitas summorum vel potentissimorum virorum. Perizon. malit *in summa*, scil. facinora. — *Ex se ipsa.* Nempe, crudelitate. Id est, quum princeps nova crudelitate grassatur contra eos, quibus se invisum ob ante exercitam crudelitatem sentit.

ret, frequens juventute gymnasium[1] armis et igni circumdedit, omnesque, qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necavit.

6. Ochus autem, qui postea Darius[2] appellatus est, sanctissimo Persis jurejurando obstrictus, ne quem ex conjuratione, quæ septem Magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitavit, qua onerosos sibi non perrupto religionis vinculo tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere complevit, suppositoque[3] tigno prominente, benigne cibo et potione exceptos in eo collocabat; e quo, somno sopiti, in illam insidiosam congériem decidebant.

7. Apertior et tetrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas[4], qui Ocham sororem, atque eamdem socrum, vivam capite defodit, et patruum cum centum amplius filiis ac nepotibus vacua area destitutum, jaculis confixit; nulla injuria lacessitus, sed quod in his maximam apud Persas probitatis et fortitudinis laudem consistere videbat.

1. *Gymnasium.* Die ludorum juvenes in gymnasium frequenter convenerant, ut de more illum celebrarent.

2. *Appellatus est.* Vid. Ovid. in Ibide, v. 317, vol. VIII, p. 23 nostræ Editionis.—*Septem.* Duos fuisse magos prodidit Herodot. Ammian. XXIII, 23, omnino septem numerat, cujus tamen auctoritas exigua est. Rutgersius var. lect. I, 8, *septem* ad conjuratos refert, et legi jubet : *ex conjuratione septem* (genit.), *quæ*, etc. Ne quem autem offendat, quod Valerius septem cum Dario conjurasse sic dicat, quum in universum, Dario etiam inter eos comprehenso, tantum VII fuerint: monet Rutgersius, in scriptoribus antiquis non novum esse, ut, quoties sodalitii cujusdam mentio fiat, etsi unum nominando eum e reliquorum numero excerpsisse videantur, postea tamen universum omnium numerum ita ponant, quasi is, quem exceperant, ei etiamnum includeretur.

3. *Suppositoque.* Alii: *superposito.*

4. *Crudelitas.* Euseb. chron. XII. —*Socrum.* Quia nimirum ejus filiam duxerat uxorem.— *Destitutum.* Collocatum, defixum. Sic Livius etiam loquitur, et Plaut. Rud. III, 5, 43. Vid. de hac propria verbi *destituere*

8. Consimili[1] genere æmulationis instincta civitas Atheniensium, indigno gloriæ suæ decreto Æginensium juventuti pollices abscidit; ut classe potens populus in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret. Non agnosco Athenas[2], timori remedium a crudelitate mutuantes.

9. Sævus etiam ille ænei tauri inventor[3], quo inclusi, subditis ignibus, longo et abdito cruciatu, mugitus resonantem spiritum edere cogebantur, ne ejulatus eorum humanæ sono vocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent: quam, quia calamitosis deesse voluit, teterrimum artis suæ opus primus artifex[4] inclusus merito auspicatus est.

10. At ne Hetrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda[5]: qui vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligata atque constricta, ita ut singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur; amari[6] vitæ pariter ac mortis tortores.

11. Sicut illi barbari[7], quos ferunt mactatarum pecu-

significatione Cujacium, X Obs. 24.

1. *Consimili*. Cic. Off. III; Ælian. II, 9. — *Æginensium*. Ægina insula et urbs, olim Myrmidonum, inclyta Achille, de qua Ovid. Metam. VII, 473; vol. III, pag. 514, nost. editionis:

Œnopiam veteres appellavere, sed ipse
Æacus Æginam genetricis nomine dixit.

2. *Athenas*. Atheniensium virtutem et humanitatem, a barbara feritate alioquin alienam.

3. *Inventor*. Vid. Cic. in Pison. et Verrin. V; Phalaris in ep.; Ovid. Trist. III, 11, 40; V, 1, 53; V, 12, 47; de Art. amator. I; Plin. XXXIV, 8. Lucianus narrat, hunc taurum postea a Phalaride Apollini Delphico fuisse consecratum: Timæus vero, ab Agrigentinis in mare demersum. — *Resonantem spiritum*. Recte. Male vero quidam *resonante spiritu*. Non enim tantum cogebantur *edere mugitus resonante spiritu*, sed *edere spiritum*, scil. mori, et hunc *resonantem mugitus*, id est, cogebantur mugire inter moriendum.

4. *Artifex inclusus*. Vox utraque Perizonio orta videtur a glossa. Toto enim exemplo de eo Noster egit, et supra *ænei tauri inventorem* vocavit.

5. *Excogitanda*. Hoc crudelissimum mortis genus Virgilius Mezentio tribuit Æn. VIII, 485.

6. *Amari*. Qui dum vivos necarent, nec mortuis pepercerunt, quorum sepulcra violarunt.

7. *Barbari*. Scythæ.

dum intestinis et visceribus egestis homines inserere, ita ut capitibus tantummodo emineant; quoque[1] diutius pœnæ sufficiant, cibo et potione infelicem spiritum prorogare: donec intus putrefacti, laniatui sint animalibus[2], quæ tabidis in corporibus nasci solent. Queramur[3] nunc cum natura rerum, quod nos multis et asperis adversæ valetudinis incommodis obnoxios esse voluerit; habitumque cælestis roboris humanæ conditioni denegatum moleste feramus, quum tot cruciatus sibimet ipsa mortalitas impulsu crudelitatis excogitaverit.

CAPUT III.

De ira et odio Romanorum.

1. M. Livii Salinatoris Cos. — 2. C. Marcii Figuli juriscos. — 3. Patriciorum. — 4. Juventutis romanæ. — 5. Exercitus romani. — 6 Plebis romanæ. — 7. Q. Metelli Macedonici procos. — 8. L. Cornelii Sullæ.

De ira et odio Externorum.

1. Alexandri Magni. — 2. Hamilcaris Barchæ Pœni. — 3. Hannibalis Barchæ Pœni. — 4. Semiramidis, Assyriorum reginæ.

DE IRA ET ODIO ROMANORUM.

Ira[4] quoque et odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant: procursu celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. Uterque consternationis plenus affectus, ac nunquam sine tormento sui violentus: quia dolorem

1. *Quoque*, id est, *atque ut*, sicut nonnulli ediderunt, ex interpretatione.

2. *Animalibus.* Vermibus, qui tabidis corporibus innasci solent.

3. *Queramur.* Egregia Valerii sententia. Quid enim molestiæ hominibus esset, aut quæ naturæ incommoda non facile ferrentur, nisi homines, humanitate exuti, ipsi alter alterius fierent tortores.

4. *Ira.* De qua legatur Seneca. Hi turpissimi affectus eo tetriores, quum iis non tantum ad aliis nocen-

quum inferre vult, patitur, amara sollicitudine, ne non contingat ultio, anxius; sed proprietatis eorum certissimæ sunt imagines; quas dii ipsi in claris personis, aut dicto aliquo, aut facto vehementiori conspici voluerunt.

1. Quum adversus Hasdrubalem Livius Salinator[1] bellum gesturus urbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne ante descenderet in aciem, quam hostium vires animumque cognosceret, primam occasionem pugnandi non omissurum se respondit; interrogatusque ab eodem, *quid ita tam festinanter manum conserere vellet? Ut quam celerrime*, inquit, *aut gloriam ex hostibus victis, aut ex civibus prostratis gaudium capiam.* Ira tunc atque virtus sermonem ejus inter se diviserunt: illa injustæ damnationis[2] memor, hæc triumphi gloriæ intenta; sed nescio, an ejusdem fuerit hoc dicere, et sic [3] vincere.

2. Ardentis spiritus virum, et bellicis operibus assuetum, huc iracundiæ stimuli egerunt; C. autem [4] Figulum mansuetissimum, pacato juris civilis judicio celeberrimum, prudentiæ moderationisque immemorem reddiderunt. Consulatus enim repulsæ dolore accensus, eo quidem magis, quod illum bis patri suo datum meminerat, quum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit, præfatus, *Omnes consulere*[5] *scitis, consulem facere nescitis.* Dictum graviter, et merito; sed

dum feramur, sed et nos ipsos consumamus, et humanam naturam plane dehonestemus.

1. *Salinator.* An. U. 548. Liv. XXVII, 37. Eum anno VIII post exsilium revocatum consulem creavere. — *Cognosceret.* Pighius edidit *cognosset.* Contra libros omnes.

2. *Injustæ damnationis.* Post consulatum *primum* cum collega Æmiliano Paulo.

3. *Vincere.* Eximia enim virtute Hasdrubalem cum LX millibus cecidit; sed civium odium hoc viro indignum.

4. *C. Figulum.* Ann. U. circiter 621. Vorstius consulem fuisse autumat, falso; sed fuit filius ejus Figuli, qui bis consul fuerat.

5. *Consulere.* Lusus in verbo consulere, unde, ut volunt grammatici, dictus consul.

tamen aliquanto[1] melius non dictum; nam quis populo romano irasci sapienter potest?

3. Itaque ne illi quidem probandi, quamvis factum eorum nobilitatis splendore protectum sit, qui, quod Cn. Flavius[2], humillimæ quondam sortis, præturam adeptus erat, offensi, annulos aureos sibimetipsis, et phaleras equis suis detractas abjecerunt, doloris impotentia tantum non luctum profecto testati.

4. Talis iræ motus aut singulorum, aut paucorum adversus populum universum; multitudinis autem erga principes ac duces, ejusmodi[3]: Manlio Torquato amplissimam et gloriosissimam ex Latinis et Campanis victoriam in urbem referenti, quum seniores omnes lætitia ovantes occurrerent, juniorum nemo obviam processit, quod filium adolescentem, fortissime adversus imperium suum præliatum, securi percussisset. Miserti sunt æqualis nimis aspere puniti; nec factum eorum defendo, sed iræ vim indico, quæ unius civitatis et ætates et affectus dividere valuit.

5. Eademque tantum potuit, ut universum populi romani equitatum[4] a Fabio consule ad hostium copias persequendas missum, quum et tuto et facile eas liceret

1. *Aliquanto.* Merito quidem dixit, quia repulsam non est meritus; viro tamen gravi et sapienti honestius fuisset, non dixisse.

2. *Flavius.* An. U. 449. Livius, IX, 46; Gell. VI, 9; Plin. XXXIII, 1. Hi omnes de curuli ædilitate Flavii hoc memorant, non de prætura. Plin. negat, equestrem ordinem abjecisse annulos. Vid. supr. II, 5, 2. — *Impotentia tantum non luctum.* Ita Vorstius et Torrenius edidere; Pighius autem et Coler. *impotentiam, tantum non luctum.* Gronovius malit, *impatientiam tantum luctu professo;* Perizonius *impotentiam t. n. luctu professo,* quocum facit Torrenius.

3. *Ejusmodi.* An. U. 413. Liv. VIII, 1; supr. II, 7, 6; VI, 9, 1.

4. *Equitatum.* Pighius *peditatum.* Sed *equitatui* magis convenit, ut mittatur ad hostes persequendos quam *peditatui.* Interea tamen verum est, pedites *equitatum,* a quo jam fusus hostis erat, sequi noluisse, ut observavit Glarean. ex Liv. II, 43. — *Fabio.* Qui intercesserat, ne promulgaretur. An. U. 272. Liv. II, 43; Dionys. IX; Zonar. XI. — *Facile.* Hoc ideo dicit, ne videantur periculo aut labore deterriti detrectasse impetum.

delere, legis agrariæ ab eo impeditæ memoria immobilem retineret. Illa vero etiam Appio duci[1], cujus pater, dum pro senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrime impugnaverat, infensum exercitum faciendo, voluntaria fuga terga hosti, ne triumphum imperatori quæreret, dare coegit. Quoties victoriæ[2] victrix! congratulationem ejus in Torquato spernendam, in Fabio[3] pulcherrimam partem omittendam, in Appio totam fugæ postponendam reddidit.

6. Age, quam violenter se in pectore universi populi romani gessit eodem tempore, quo suffragiis ejus dedicatio ædis Mercurii M. Plætorio primipili centurioni data est[4]; præteritis consulibus, Appio quod obstitisset, quo minus æri alieno suo succurreretur; Servilio, quod susceptam causam languido patrocinio protexisset! Negas efficacem iram, cujus hortatu miles summo imperio prælatus est?

7. Quæ quidem non proculcavit[5] tantum imperia, sed

1. *Duci.* An. Urb. 282. Appius Claudius plebi invisus, consul adversus Volscos profectus, eadem sævitia utebatur in milites, qua in plebem uti consueverat; unde vinci turpiter maluerunt, quam Appio parare honorem.

2. *Quoties victoriæ.* Pighius interposuit *ergo*, quod fide MSS. Torrenius expunxit, ut dictum sit per admirationem, more Valerio valde sollenni.

3. *Pulcherrimam.* Lipsius legendum censet: *pulcherrime partam*, scil. victoriam. Quod improbat Torrenius. *Pulcherrima pars victoriæ* est, hostibus conversis in fugam instare, quod facere noluerunt Fabiani. — *Reddidit.* Scilicet, ira. Pigh. *credidit.* Minus bene.

4. *Data est.* An. U. 258. Liv. II, 27. Quum instante bello cum Volscis, propter nexos ob æs alienum fremebat plebs, tutiorem inter hostes, quam inter cives libertatem plebis esse : nexi in publicum se proripiunt et Quiritum fidem implorant. Coacto senatu, Appius per vim, Servilius, vir mitioris ingenii, placide rem agendam censet. Nexis dimissis, consul brevi Volscos superat. Sed deinde impulsore Appio nexi creditoribus sunt redditi, et quum Servilius tergiversaretur, in idem odium incidit. Quo factum, ut dedicatio ædis Mercurii neutri consulum, sed Plætorio committeretur.

5. *Quæ quidem non proculcavit.* Alii, *non quidem proculcavit.* Sed proxi-

etiam gessit impotenter; nam Q. Metellus[1] quum utramque Hispaniam consul prius, deinde proconsul, pæne totam subegisset, postquam cognovit Q. Pompeium consulem inimicum suum successorem sibi mitti, omnes qui modo militiam suam voluerunt finiri, dimisit: commeatus[2] petentibus, neque causis excussis, neque constituto tempore, dedit: horrea, custodibus remotis, opportuna rapinæ præbuit: arcus sagittasque Cretensium[3] frangi, atque in amnem abjici jussit: elephantis cibaria dari vetuit. Quibus factis ut cupiditati suæ indulsit, ita magnifice gestarum rerum gloriam corrupit: meritumque honorem triumphi, hostium, quam iræ, fortior victor, amisit.

8. Quid Sulla[4], dum huic vitio obtemperat, nonne multo alieno sanguine profuso, ad ultimum et suum erogavit? Puteolis[5] enim ardens indignatione, quod Granius princeps ejus coloniæ pecuniam a decurionibus ad refectionem Capitolii promissam cunctantius daret, animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu convulso pectore, spiritum cruore ac minis mixtum[5] evomuit; nec senio jam prolapsus, utpote sexagesimum ingrediens annum, sed alita miseriis reipublicæ impotentia[6] furens;

mum exemplum hoc modo clauserat, *negas efficacem iram;* quo initio hujus exempli respexit, ut plerumque solet.

1. *Metellus.* An. U. 611. Livius, LIII; Florus, II, 17; Aurel. LXI. Pigh. cum aliis edidit *provinciam Hispaniam*, quia Metellus *Macedonicus* non utramque Hispaniam, sed citeriorem provinciam duntaxat, obtinuit. Sed *utramque* rem magis auget, ut recte Torrenius observat. — *Proconsul.* Quia in sequentem annum post consulatum illi provincia fuerat prorogata, ut proconsul in ea bellum gereret. — *Totam.* Hispaniam interiorem, Celtiberiam, unde et *Celtibericus* dictus.

2. *Commeatus.* Liberam abeundi ad tempus potestatem.

3. *Cretensium.* Qui auxiliares erant P. romani. Hæc omnia fecit, ne Pompeius gloria potiretur.

4. *Sulla.* An. U. 675. Plut. in vita.

5. *Puteolis.* Distat hoc oppidum X millia passuum a Neapoli. — *Evomuit.* Scriptores alii narrant, Sullam periisse φθειριάσει seu morbo pediculari, ex oborto ulcere. —

6. *Impotentia.* Animi effrænatione, iracundia.

igitur in dubio est, Sullane prior, an iracundia Sullæ sit exstincta.

DE IRA ET ODIO EXTERNORUM.

Neque[1] ab ignotis exempla petere juvat, et maximis viris exprobrare vitia sua verecundiæ est. Cæterum quum propositi fides excellentissima quæque complecti moneat, voluntas[2] operi cedat; dum præclara libenter probando, necessaria narrandi conscientia non desit.

1. Alexandrum iracundia sua propemodum cælo deripuit[3]; nam quid obstitit, quo minus illuc assurgeret, nisi Lysimachus[4] leoni objectus, et Clytus hasta trajectus, et Callisthenes[5] mori jussus? quia tres maximas victorias totidem amicorum injustis cædibus victor[6] edidit.

1. *Neque ab ignotis.... et maximis.* Pighius dedit: *Nunc ab ignotis.... sed maximis.* Male. Nam ignoti non sunt, ut Pighius explicat, externi. Sunt obscuri, quorum exempla proferri fructum non affert, et verecundiæ tamen est recensere vitia maximorum virorum; sed ipsa instituti ratio postulat, ut non reticeantur. *Cedat ergo*, inquit, *voluntas operi*; quod mihi conscius sum, me necessaria duntaxat narrare, quum probo libenter præclara.

2. *Voluntas.* Qua non nisi honesta referre mallem.

3. *Deripuit.* Obstitit, quo minus inter deos numeraretur. Vid. Curt. VIII, 3, 12; Arrian. IV; Senec. de Ira, III, 17; de Clem. I, 25.

4. *Lysimachus.* Is crudeliter mutilato Callistheni venenum præbuit; damnatusque hanc ob causam, leonis lingua arrepta, feram exanimavit. Quo facto in Alexandri amicitiam rediit, et inde rex Thraciæ factus est.

5. *Callisthenes.* Vid. supr. lib. VII, cap. 2, § 8; Justin. XV, 3.

6. *Edidit.* Kappius hanc vocem, quæ exstat in optimis et antiquissimis MSS. vel edd. et rectum habet sensum, in textum recepit, conjecturam Pighii *perdidit* rejicere non dubitans. In Susiano, pro *edidit* legitur *deturpavit*, quod non minus alienum est. Valerius enim causam affert cur Alexander fere in cælum assurgit, *quia* nempe tres maximas victorias edidisset. Quod vero nullam historiam sine acumine dimittere solet, pungit simul Alexandrum dum addit, eum quoque victorem fuisse injustis cædibus totidem amicorum. Perizonius ingeniose conjicit : *victo reddidit;* id est, omnem gloriam, quam ex victoriis ceperat, suis cædibus quasi amisit, et quasi non contigissent, *victo* hosti eas *reddidit.*

2. Quam vehemens deinde adversus populum romanum Hamilcaris[1] odium! quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, ejusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperii nostri alere se prædicabat: digna nutrimenta, quæ in exitium[2] patriæ suæ, ut evenit, converterentur!

3. E quibus Hannibal mature adeo patris vestigia subsequutus est[3], ut eo exercitum in Hispaniam trajecturo, et ob id sacrificante, novem annorum natu, altaria tenens juraret, *se, quum primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem populi romani futurum;* ut pertinacissimis precibus instantis belli commilitium[4] exprimeret. Idem significare cupiens, quanto inter se odio Carthago et Roma dissiderent, inflicto in terram pede, suscitatoque pulvere, *tunc inter eas fore finem belli* dixit, *quum alterutra urbs in habitum pulveris esset redacta.*

4. In puerili pectore tantum[5] vis odii potuit; sed in muliebri quoque æque multum valuit[6]. Namque Semiramis Assyriorum regina, quum ei circa cultum capitis sui occupatæ nuntiatum esset, Babylonem defecisse, altera parte crinium adhuc soluta protinus ad eam expugnandam cucurrit: nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam urbem in potestatem suam, redegit: quocirca statua ejus Babylone posita est illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit.

1. *Odium.* Vid. Nep. in vit. Hic Hamilcar fuit Hannibalis pater, et tres ejus filii Hannibal, Hasdrubal et Sappho.

2. *Exitium.* Nam Romani non adeo per Hannibalem irritati, Carthaginem non delessent.

3. *Subsequutus est.* An. U. 516 circiter. Liv. XXI et XXXV; Polyb. II. — *Potuisset.* Pro *posset.*

4. *Commilitium.* Ut patri duci comes iret in militiam.

5. *Tantum vis.* Pigh. et alii, *non tantum.* Male. Vocula negans locum hic non habet.

6. *Valuit.* Semiramis antea fuit cujusdam Menonis uxor. Sed quum ejus consilio urbs et arx Bactra capta esset, ejus virtutem admiratus Ninus, eam sibi uxorem ascivit. Vide de ejus gestis Justinum I, 1 et 2; XXXVI, 2; Pomponium Melam I, 11; Ovid. Metamorph. IV, 58.

CAPUT IV.

De avaritia Romanorum.

1. M. Crassi et Q. Hortensii. — 2. Q. Cassii Longini propr. — 3. L. Septimuleii.

De avaritia Externorum.

Ptolemæi Cypriorum regis.

DE AVARITIA ROMANORUM.

Protrahatur[1] etiam avaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago; nec habendi fructu felix[2], et cupiditate quærendi miserrima.

1. Quum admodum locupleti L. Minucio Basilo[3] falsum testamentum quidam in Græcia subjecisset, ejusdemque confirmandi gratia potentissimos civitatis nostræ viros M. Crassum et Q. Hortensium, quibus Minucius ignotus fuerat, tabulis heredes inseruisset; quamquam evidens fraus erat, tamen uterque pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiavit. Quantam culpam quam leviter[4] retuli! Lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura invitati, auctoritatibus suis texerunt.

2. Verum aliquanto majores vires in Q. Cassio exhibuit[5]: qui in Hispania M. Silium et A. Calpurnium occidendi sui gratia cum pugionibus[6] deprehensos, quinqua-

1. *Protrahatur.* Scil. in medium, quas voces alii assuerunt ex glossa.

2. *Felix. Felix* est, qui e rebus partis fructum capit; quod quum non contingat avaro, felix non est. *Avaritia*, quum cætera vitia senescant, sola in dies fit ardentior.

3. *Basilo.* Vid. Cic. Off. III, 18. — *Subjecisset.... inseruisset.* Ita MSS. et edd. vett. Pighius vero male edidit, *subjecissent..... inseruerunt.*

4. *Leviter.* Coler. et Vorst. malint *leniter.* Frustra.

5. *Exhibuit.* An. U. 705. Hirtius de Bello Alexandrino.

6. *Pugionibus. Pugio* breve telum

gies sestertium ab illo, ab hoc sexagies pactus, dimisit. At quis[1] dubitet, si alterum tantum daretur, jugulum quoque suum æquo animo illis fuisse præbiturum?

3. Cæterum avaritia ante omnes L. Septimuleii præcordia possedit[2], qui, quum C. Gracchi familiaris fuisset, caput ejus abscindere, et per urbem pilo fixum ferre sustinuit, quia Opimius consul auro id se repensurum edixerat. Sunt qui tradant, liquato plumbo eum cavatam partem capitis, quo ponderosius esset, explesse. Fuerit[3] ille seditiosus, bono perierit exemplo: clientis tamen scelesta fames in has usque jacentis injurias esurire non debuit.

DE AVARITIA EXTERNORUM.

Odium merita[4] Septimuleii avaritia; Ptolemæi autem regis Cypriorum, risu prosequenda[5]; nam quum anxiis[6] sordibus magnas opes corripuisset, propterque eas periturum se videret, et ideo omni pecunia imposita navibus, in altum processisset, ut classe perforata suo arbitrio periret, et hostes præda carerent; non sustinuit mergere aurum et argentum, sed futurum suæ necis præmium domum revexit. Procul dubio hic non possedit divitias, sed a divitiis possessus est: titulo rex insulæ, animo pecuniæ miserabile mancipium.

lateri adhærens a *pungendo*, vel, ut alii volunt, a *pugno* dictus.

1. *Quis*. Alii: *atqui ne*, *atque ne*, sive *an dubites*, quæ lectio posterior Vorstio videtur optima. Per hanc interrogationem Valerius significare velle videtur, non dubitandum esse, si alterum tantum datum fuisset, Cassium jugulum quoque suum præbiturum fuisse.

2. *Possedit*. An. U. 632. Plut. in vit.; Cic. de Orat. II.

3. *Fuerit*. Concedatur, Gracchum lucri studio, non reipublicæ causa, leges agrarias ferre voluisse; concedatur, eum pro utilitate reipubl. fuisse occisum, ut reliqui seditiosi caverent, etc.

4. *Merita*. Scilicet, *est*, quod quidam addunt. Alii, *Odio merito*, ut construatur cum *prosequenda;* minus eleganter.

5. *Prosequenda*. An. Urb. 695. Plut. in Cat.

6. *Anxiis*. Sollicita avaritiæ cupiditate. Romani constituerant, Cy-

CAPUT V.

De superbia et impotentia Romanorum.

1. M. Fulvii Flacci cos. — 2. M. Livii Drusi tribuni plebis. — 3. Cn. Pompeii Magni cos. 3. — 4. M. Antonii triumviri.

De superbia et impotentia Externorum.

1. Alexandri Magni. — 2. Xerxis Persarum regis. — 3. Hannibalis Pœni. — 4. Carthaginiensis et Campani senatus.

SUPERBIA ET IMPOTENTIA ROMANORUM.

1. Atque ut superbia quoque et impotentia in conspicuo ponantur, M. Fulvius Flaccus consul, M. Plautii Hypsæi collega [1], quum perniciosissimas reipublicæ leges introduceret, de civitate danda, et de provocatione ad populum, eorum, qui civitatem mutare voluissent, ægre compulsus est, ut in curiam veniret; deinde partim monenti, partim oranti senatui, ut incepto desisteret, responsum non dedit. Tyrannici consul spiritus haberetur, si adversus unum senatorem hoc modo se gessisset, quo Flaccus in totius amplissimi ordinis contemnenda majestate versatus est.

2. Quæ a M. quoque Druso tribuno plebis per summam contumeliam vexata est [2]; parvi [3] enim habuit L. Phi-

prum redigere in provinciæ formam, et Catonem miserunt, qui regiam pecuniam Romam deportaret. Quod ubi sensit Ptolemæus, nimio dolore percitus veneno fata prævenit.

1. *Collega*. An. U. 628. Appian. Civil. I. — *M. Valer. Flaccus*. Horum consulatum meminit et Oros. V, 11. *Impotentia* est, qua quis sibi temperare nescit. — *Civitate*. Ut, quicunque civis romanus fieri vellet, id ei semper liceret.

2. *Vexata est*. An. U. 662. Liv. LXXI; Flor. III, 17; supr. VI, 2, 2.

3. *Parvi*. Ita Pighius ex MSS. edidit. Alii *parum*, id est, non satis, *habuit*. Vid. Sall. Jug. 34.

lippum consulem, quia interfari[1] concionantem ausus fuerat, obtorta gula, et quidem non per viatorem, sed per clientem suum, adeo violenter in carcerem præcipitem egisse, ut multus a naribus ejus cruor profunderetur: verum etiam, quum senatus ad eum misisset, ut in curiam veniret: *Quare non potius*, inquit, *ipse in Hostiliam*[2] *propinquam rostris, id est, ad me, venit?* Piget adjicere quod sequitur: tribunus senatus imperium despexit; senatus tribuni verbis paruit.

3. Cn. autem Pompeius[3] quam insolenter! qui balneo egressus, ante pedes suos prostratum Hypsæum ambitus reum, et nobilem virum, et sibi amicum, jacentem reliquit, contumeliosa voce proculcatum; *Nihil* enim *eum aliud agere, quam ut convivium suum moraretur*, respondit; et hujus dicti conscius, securus animo cœnare potuit: ille vero etiam in foro non erubuit P. Scipionem socerum[4] suum legibus noxium, quas ipse tulerat, in maxima quidem reorum et illustrium ruina, muneris loco a judicibus deposcere, maritalis lecti blanditiis statum reipublicæ temperando.

1. *Interfari*. Sic ex Winch. et aliis Pighius revocavit. Vide Livium, XXXVI; Plin. epist. XXIII. Quidam *interpellare*. Minus bene. — *Viatorem*. Qua in re Valerius dissentit a Floro.

2. *Hostiliam*. Hanc Hostilium regem ædificasse asserit Varro, quæ deinde incensa est tumultuario Clodii rogo. In rostris non habebantur tantum conciones, sed etiam sedentes ibi magistratus jus dicebant, ferebanturque ibidem interdum leges. Vid. Marlianus, III, 6. — *Id est, ad me, venit.* Quidam pro *id est* habent *idem;* sed nostra lectione superbæ vocis Drusi indignitas magis elucet. Colerus *id est, ad me, venit*, tamquam glossam ejecit, invitis codd.

3. *Pomponius*. An. U. 701. Plut. in vit. Pomp.; Cicer. pro Flacco. — Hypsæus in causa Pompeii valde laboraverat, ut Ptolemæus restituendus Pompeio decerneretur. Vid. Cic. ad Lentul. Sed Pompeius tamen supplicem amicum nobilemque virum superbe repudiavit.

4. *Socerum*. Defuncta Julia, ante biennium, quam ipse exstingueretur Pompeius, Corneliam Scipionis consularis filiam matrimonio sibi junxit. Vid. Vellei. II, 55, 2. — *Temperando*. Perizon. malit *temerando*, id est, corrumpendo et violando. Sed vulgatum bene habet. Sensus

4. Tetrum facto pariter ac dicto M. Antonii convivium [1]; nam quum ad eum triumvirum Cæsetii Rufi senatoris caput allatum esset, aversantibus id cæteris, propius admoveri jussit, ac diu diligenterque consideravit: cunctis deinde exspectantibus quidnam esset dicturus: *Hunc ego*, inquit, *notum non habui.* Superba de senatore, impotens de occiso confessio.

DE SUPERBIA ET IMPOTENTIA EXTERNORUM.

1. Satis multa de nostris; aliena nunc adjiciantur. Alexandri regis virtus et felicitas tribus insolentiæ gradibus exsultavit evidentissimis [2]; fastidio enim Philippi, Jovem Hammonem patrem adscivit: tædio morum et cultus macedonici, vestem et instituta persica assumpsit; spreto mortali habitu, divinum [3] æmulatus est: nec fuit ei pudori, filium, civem, hominem, dissimulare.

2. Jam Xerxes [4], cujus in nomine superbia et impotentia habitat, suo jure quam insolenter usus est, quum Græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ principibus, *Ne viderer*, inquit, *meo tantummodo usus consilio, vos contraxi; cæterum mementote, parendum magis vobis esse, quam suadendum.* Arroganter, etiamsi victori repetere ei

est: Pompeius blanditiis uxoris suæ adductus est, ut a judicibus peteret, Scipionem, qui secundum leges ipsius Pompeii condemnandus erat, absolvere; et sic statum reipubl. infirmaret et violaret. Ita Velleius, II, 60, 4; *omnia pretio temperata*, id est, omnia venalia erant, etiam ipsa respublica, si emptorem invenisset, uti Jugurtha aliquando dixit.

1. *Convivium.* An. U. 710. Plut. in vit. *Facto* tetrum, quod inter epulas Rufi caput pertractavit, et tamquam ignotum abjecit; *dicto*, quod, quem omnes noverant senatorem, se ignorare diceret.

2. *Evidentissimis.* Vid. Curtium, Arrian. et Plut. in vit. Alexandri.

3. *Divinum.* Scil. habitum. Alii legunt: *divinum caput.* — *Æmulatus est.* Lipsius conjicit *captatus est*, quod sit pro *captavit*, ut supra *fluctuatus est* pro *fluctuavit.* Alii *assumpatus est*, quod non damnet Torrenius. Sed nil mutandum.

4. *Xerxes.* Vid. Herodot. VII; Justin. II. — *Superbia.* Mare enim cædi jussit, et ipsi Neptuno com-

regiam contigisset : tam deformiter[1] victi nescias utrum insolentius dictum, an impudentius.

3. Hannibal autem cannensis pugnæ successu elatus[2], nec admisit quemquam civium suorum in castris, nec responsum ulli, nisi per interpretem dedit; Maharbalem etiam ante tabernaculum suum clara voce affirmantem, *prospexisse se, quonam modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret*, adspernatus est : adeo felicitatis et moderationis dividuum contubernium est!

4. Insolentiæ vero inter Carthaginiensem et Campanum senatum quasi æmulatio fuit : ille enim separato a plebe balneo lavabatur; hic diverso[3] foro utebatur. Quem morem Capuæ aliquamdiu retentum, C. quoque Gracchi oratione in Plautium scripta patet.

CAPUT VI.

De perfidia Romanorum.

1. T. Tatii Sabinorum regis. — 2. Ser. Sulpicii Galbæ præt. — 3. Cn. Domitii Ahenobarbi procos. — 4. Q. Servilii Cæpionis cos.

De perfidia Externorum.

1. Carthaginiensium. — 2. Hannibalis pœni.

DE PERFIDIA ROMANORUM.

Occultum jam et insidiosum malum perfidia latebris

pedes minitatus est. — *Quam insolenter usus est*. Sic habent Aldus et alii. Sed postremam vocem Pighius in *abusus est* mutavit. Immerito. Plerique MSS. *tam insolenter usus est*, unde Perizonius conjicit, *tamen insolenter usus est*. Frustra. Lipsius ex ed. vet. scribit *habitat suo jure, quam insolenter? Quod Graciæ*.

1. *Deformiter*. Superatus enim, in patriam piscatoria nave effugit. — *Impudentius*. Perizon. et Guyet. malint *imprudentius*. Præter necessitatem.

2. *Elatus*. An. U. 537. Polyb. III, Livius, XXIII, et Plutarchus de hac Hannibalis superbia tacent.

3. *Diverso*. Quia non eodem pleb;

suis extrahatur, cujus efficacissimæ vires sunt mentiri, ac fallere; fructus in aliquo admisso scelere consistit: tum certus, quum credulitatem [1] nefariis vinculis circumdedit: tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quam illa laudis consequitur.

1. Romulo regnante Sp. Tarpeius arci præerat [2]: cujus filiam virginem [3] aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, ut armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine pactam, quæ in sinistris manibus gerebant; erant autem his armillæ et annuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen Sabinorum, puellam præmium flagitantem, armis obrutam necavit; perinde quasi promissum, quod ea quoque lævis gestaverant, solverit [4]. Absit reprehensio; quia impia proditio celeri pœna vindicata est.

2. Ser. quoque Galba summæ perfidiæ [5]: trium enim Lusitaniæ civitatum convocato populo, tamquam de commodis ejus acturus, septem millia, in quibus flos juventutis consistebat, electa et armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit: quo facinore [6] maximam cladem barbarorum magnitudine criminis antecessit.

3. Cn. autem Domitium, summi generis et magni animi

et principibus jura reddebantur, sed aliis alio foro. Vid. Plin. paneg. 36, 4.

1. *Credulitatem.* Coler. et Vorst. *crudelitatem* legunt, quod nihil sit crudelitati cum perfidia, ut hæc illam vinculis circumdare dicatur? Torrenius ipse *crudelitatem* damnat, etsi nonnullis in MSS. occurrat.

2. *Præerat.* An. U. circit. 105. Liv. I; Dionys. II; Plut in Romulo; Servius ad Æn. VIII.

3. *Virginem.* Auro corruptam et alii referunt.

4. *Solverit.* Sic conjecit Perizonius, et Torrenius ex Leid. sext. in textum recepit. Nam cæteri MSS. et edd. vett. *solvit.* Pighius aliique eum sequuti dederant *solvens.*

5. *Perfidiæ.* An. U. 602. Suet. in Galb. 3; Oros. IV, 21. — *Septem millia.* MSS. cum multis edd. *novem.* Ed. Mog. et aliæ *octo.* Leid. quint. *centum octo.* Nonnulli *sex.* Vid. Casaub. ad Suet. in Galba, 3.

6. *Facinore.* Quamvis maxima fuerit Lusitanorum clades, majus tamen Galbæ crimen.

virum, nimiæ gloriæ cupiditas perfidum exsistere [1] coegit; iratus namque Bituito [2] regi Arvernorum, quod quum suam, tum etiam Allobrogum gentem, se etiam tum in provincia morante, ad Q. Fabii successoris sui dexteram confugere hortatus esset, per colloquii simulationem arcessitum, hospitioque exceptum, vinxit, ac Romam nave deportandum curavit: cujus factum senatus neque probare potuit, neque rescindere voluit, ne remissus in patriam Bituitus bellum renovaret; igitur eum Albam custodiæ causa relegavit.

4. Viriathi etiam cædes [3] duplicem perfidiæ accusationem recepit: in amicis, quod eorum manibus interemptus est; in Q. Servilio Cæpione consule, quia is sceleris hujus auctor, impunitate promissa, fuit: victoriamque non meruit, sed emit [4].

DE PERFIDIA EXTERNORUM.

1. Verum ut ipsum fontem perfidiæ contemplemur, Carthaginienses Xanthippum Lacedæmonium [5], cujus optima opera primo punico bello usi fuerant, et quo juvante

1. *Coegit.* An. U. 632. Oros. V, 13; Liv. LXI; Flor. III, 2. Fabium adversus hunc regem pugnasse scribunt Liv. et Orosius.

2. *Bituito.* Vid. interpretes ad Flor. III, 2. Pighius tamen dederat *Betulto* ex marmore antiquo, ubi vel lapicida, vel descriptor marmoris erravit, si creditur Scaligero, cujus vid. animadversiones in Eusebium. — *Arvernorum.* Galliæ transalpinæ gens.

3. *Cædes.* An. U. 613. Appian. Iberic.; Livius, LIV; Flor. II, 17; Oros. V, 2. — *Perfidiæ.* Æquis conditionibus cum Viriatho pax facta erat. Agnoscunt igitur romani scriptores, eam pacem servari debuisse, nec Viriathum per insidias occidi. Etenim talia jure armorum tegi non possunt, sed inter flagitia belli numeranda sunt. Vid. Grotius de jure pac. et bell. III, 4, 18.

4. *Emit.* Præmia tamen percussoribus negata. Vid. Eutrop. IV, 7.

5. *Lacedæmonium.* An. U. 498. Appian. Libyc. IV; Polyb. I, 36; Oros. VII, 9; supr. I, 1, 14. Xanthippus fuit Periclis filius. Quidam tamen illum rediisse domum narrant.

Atilium Regulum ceperant, simulantes sese domum revehere, in alto merserunt; quid tanto facinore petentes? an ne victoriæ eorum socius superesset? Exstat nihilominus, et quidem cum illorum opprobrio; quem sine illa gloriæ jactura inviolatum reliquissent.

2. Hannibal porro Nucerinos[1] hortatu suo cum binis vestimentis urbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos, vapore et fumo balnearum strangulando, et Acerranorum senatum eadem ratione extra mœnia evocatum, in profundum puteorum abjiciendo, nonne bellum adversus populum romanum et Italiam professus, adversus ipsam fidem acrius gessit, mendaciis et fallacia quasi præclaris artibus gaudens? Quo evenit, ut alioqui insignem nominis sui memoriam relicturus, in dubio, majorne, an pejor vir haberi deberet, poneret.

1. *Nucerinos.* An. U. 537. Zonaras; Liv. XXIII; Appian. Libyc. XXXIV. Nuceria urbs Campaniæ hodie Nocera. De crudelitate in eos Livius nihil habet, sed scribit : Nucerinos urbem egressos dilapsos esse omnes, quocumque hospitia aut fortuitus animi impetus tulerit. — *Binis vestimentis.* Ex Livio Pighius conjicit *singulis*, sed auctor noster a Livio etiam in aliis exemplis abit.

CAPUT VII.

De seditionibus plebis romanæ adversus

1. C. Marium Cos. 6. — 2. Q. Metellum censorem. — 3. A. Numium candidatum. — 4. A. Sempronium Asellionem præt.

De seditionibus militum romanorum adversus

1. Gratidium legatum. — 2. Q. Pompeium consulem. — 3. C. Carbonem legatum.

DE SEDITIONIBUS PLEBIS ROMANÆ.

Sed ut violentæ seditionis tam togatæ[1], quam etiam armatæ facta referantur :

1. L. Equitium[2], qui se Tib. Gracchi filium simulabat, tribunatumque adversus leges cum L. Saturnino petebat, a C. Mario quintum consulatum gerente in publicam custodiam ductum, populus claustris carceris convulsis raptum, humeris suis per summam animorum alacritatem portavit.

2. Idemque Q. Metellum censorem[3], quod ab eo, tamquam Gracchi filio, censum recipere nolebat, lapidibus prosternere conatus est, affirmantem tres tantummodo filios Graccho fuisse, e quibus unum in Sardinia stipendia merentem, alterum infantem Præneste, tertium post patris mortem natum Romæ decessisse; neque oportere clarissimæ familiæ ignotas sordes inseri : quum interim improvida concitatæ multitudinis temeritas, pro impudentia

1. *Togatæ*. Id est, urbanæ.

2. *Equitium*. An. U. 653. Appian. Civ. I; Oros. V, 17. — *Leges*. Quia lex erat, ne quis inquilinus, qui non esset in censu et aliqua tribu, posset trib. pl. creari. — *Quintum*. In *sexto* consulatu Marius hanc Apuleianam seditionem passus est.

3. *Censorem*. An. U. 651. App. Civ. I; Cic. pro Sext. 47; supra III, 8, 6. — *Filio*. Detulerat Equitius censum Ti. Gracchi, tamquam ejus filius et heres. Verum Metellus eum admittere noluit, quippe quem nec in tribu, nec in censu fuisse sciret.

et audacia adversus consulatum et censuram tetendit, principesque suos omni petulantiæ genere vexavit.

3. Vesana[1] hæc tantummodo; illa etiam cruenta seditio; populus enim A. Numium competitorem Saturnini, novem jam creatis tribunis, unoque loco duobus candidatis restante, vi prius in ædes privatas compulit; extractum deinde interemit; ut cæde integerrimi civis facultas adipiscendæ potestatis teterrimo civi daretur.

4. Creditorum quoque consternatio adversum Sempronii[2] Asellionis, prætoris urbani, caput intolerabili modo exarsit: quem, quia causam debitorum susceperat, concitati a L. Cassio tribuno plebis pro æde Concordiæ sacrificium facientem, ab ipsis altaribus fugere extra forum coactum inque tabernula[3] latitantem, prætextatum discerpserunt.

DE SEDITIONIBUS MILITUM ROMANORUM.

1. Detestanda fori conditio; sed si castra respicias, æque magna orietur indignatio[4]: quum C. Mario lege Sulpicia, provincia Asia, ut adversus Mithridatem bellum gereret, privato decreta esset, missum ab eo Gratidium legatum ad L. Sullam consulem accipiendarum legionum causa milites trucidarunt; procul dubio indignati, quod

1. *Vesana.* Vesana adeo fuit hæc seditio, ut plebs illius etiam, ad quas confugerat ædes, expugnaret, et extractum crudeli cæde necaret. An. U. 652. Liv. LXIX; Oros. V, 17.

2. *Sempronii.* An. U. 664. Appian. Civ. I; Liv. LXXIV. Sempronius debitorum causam susceperat: fœneratores autem, quorum vis magna erat, indignati, seditionem excitarunt.

3. *Tabernula.* Colerus *tabernacula.* Quod quum durum nimis Thisio videretur, maluit *tabernaculo.* Sed quis credat, tabernaculum præsto fuisse in urbe, quo Asellio refugeret? Tabernæ autem Romæ innumeræ erant; in quarum una latitare illum voluisse credibile est.

4. *Indignatio.* An. U. 665. Liv. LXXVII; Plut. in Sulla; Appian. Civ. I.

a summo imperio, ad eum, qui nullo in honore versaretur, transire cogerentur; sed quis ferat militem, scita plebis exitio legati corrigentem?

2. Pro consule istud tam violenter exercitus; illud adversus consulem[1]: Q. enim Pompeium Sullæ collegam, senatus jussu ad exercitum Cn. Pompeii[2], quem aliquamdiu invita civitate obtinebat, contendere ausum, ambitiosi ducis illecebris corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactaverunt, tantumque scelus curia, castris cedere se confessa, inultum habuit.

3. Ille quoque exercitus nefarie violentus[3], qui C. Carbonem, fratrem Carbonis ter consulis, propter bella civilia dissolutam disciplinam militarem præfractius et rigidius adstringere conatum, privavit vita; satiusque duxit maximo scelere coinquinari, quam pravos ac tetros mores mutare.

CAPUT VIII.

De temeritate Romanorum.

1. P. Africani majoris. — 2. C. Cæsaris cos. 2. — 3. Exercitus romani.

De temeritate Externorum.

1. Hannibalis pœni. — 2. Atheniensis populi.

DE TEMERITATE ROMANORUM.

Temeritatis etiam et subiti[4] et vehementes sunt im-

1. *Consulem.* Eodem anno: vid. auctores eosdem.

2. *Pompeii.* Forsan Strabonis — *Sacrificare.* De more exercitum accepturus sacrificabat, quum nihil, nisi peractis sacris, susciperent Romani.

3. *Violentus.* An. Urb. 671. Hic exercitus in Africa fuisse conjicitur. — *Carbonem.*. Nonnulli MSS. *Gn. Carbonem.*

4. *Et subiti et vehementes.* Hoc Pighius ex MSS. Alii *ita subiti et vehementes*, unde Perizonius conjicit *ut subiti ita vehementes*. Ed. vet. utrumque *et* omittit.

pulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula respicere[1], nec aliena facta justa æstimatione prosequi valent.

1. Quam enim temere[2] se Africanus Superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Syphacem trajecit, in unius Numidæ infidis præcordiis suam pariter et patriæ salutem depositurus! Itaque exiguo momento maximæ rei casus fluctuatus est[3], utrum interfector, an captivus Scipionis Syphax fieret.

2. Jam C. Cæsaris[4] anceps conatus, etsi cælestium cura protectus est, vix tamen sine animi horrore referri potest; siquidem impatiens legionum tardioris a Brundusio Apolloniam trajectus, per simulationem adversæ valetudinis convivio egressus, majestate sua servili veste occultata, naviculam[5] conscendit, et e flumine maris Adriatici sæva tempestate fauces petiit; protinusque in

1. *Respicere.* Id est, rationem habere. Terent. Heaut. I, 1, 18; Justin. XII, 8, 2. Pigh. et Coler. *dispicere*, id est, per omnes partes ac numeros considerare, vel mente providere. Alii *despicere*.

2. *Temere.* Parum enim aberat, quin ab hostibus interciperetur, quoniam et Hasdrubal eodem tempore ad Syphacem cursum fecit. Sed Scipio prior intravit portum. Scipio tamen postea non fuit interfector Syphacis, quem captivum in carcere mortuum scribunt omnes. Ann. U. 547. Liv. XXVIII; App. Libyc.

3. *Fluctuatus est.* Pighius maluit *fluctuavit*; sed *fluctuari* apud Livium, Senecam et Curtium frequentius occurrit. Hoc verbum Noster etiam usurpavit supra III, 1, in fine. — *Interfector, an captivus Scipionis Syphax.* Ita Torrenius rescripsit, probantibus Gronovio et Perizonio; nam vulgata lectio est, *interfector an captivus Scipio Syphacis.* Pighius et Coler. *captivus an victor Scipio Syphacis.* Torrenii lectio propius ad libros accedit, atque cum historia consentit.

4. *Cæsaris.* An. U. 705. Plutarchus in vita; Dionys. XLI.

5. *Naviculam.* Scapham XII remorum pauperis cujusdam gubernatoris Amyclæ. — *Et e flumine.* Ita Pighius ex Pulm. et Sus. reposuit; nam Apolloniæ navem conscendit, et secundo flumine in mare Adriaticum adversisque ventis Brundusium tendebat. MSS. tamen Torrenii cum vett. edd. *e flumine, ac.* — *Fauces.* Angustias et ostia, quibus fluvius in Adriaticum mare descendit.

altum dirigi jusso navigio, multum ac diu contrariis jactatus fluctibus, tandem necessitati cessit.

3. Age, illa quàm exsecrabilis militum temeritas[1]! fecit enim ut A. Albinus[2], nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione civis eximius, propter falsas et inanes suspiciones, in castris ab exercitu lapidibus obrueretur: quodque accessionem indignationis non recipit, oranti atque obsecranti duci a militibus causæ dicendæ potestas negata est.

DE TEMERITATE EXTERNORUM.

1. Itaque minus miror, apud trucem et sævum Hannibalis animum defensionis locum innoxio gubernatori[3] non fuisse: quem a Petilia classe Africam repetens freto appulsus, dum tam parvo spatio Italiam Siciliamque inter se divisas[4] non credit, velut insidiosum cursus rectorem interemit; posteaque diligentius inspecta veritate, tunc absolvit, quum ejus innocentiæ nihil ultra sepulcri honorem dari potuit: igitur angusti atque æstuosi maris alto e tumulo speculatrix statua, tam memoriæ Pelori[5], quam punicæ temeritatis, ultra citraque navigantium oculis collocatum indicium est.

1. *Temeritas*. Ann. U. 664. Liv. LXXV; Oros. V, 18; Plut. in Sulla.

2. *Albinus*. Orosius Albinum Sullæ legatum nominat, et addit: non falsa et inani suscipione, sed ob intolerabilem superbiam a militibus esse occisum.

3. *Gubernatori*. Factum hoc an. U. 550, quum ex Italia revocatus Hannibal ad opem laboranti patriæ ferendam, venisset in Siciliam. Vid. Serv. in Æn. III; Mela, II, 7.

4. *Divisas*. Continentem cum Italia olim Siciliam fuisse, canit, præter Virgilium, Claudianus:

..... Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit: sed pontus et æstus
Mutavere situm: rupit confinia Nereus.

5. *Pelori*. Qui ibi sepultus dicitur, et in cujus honorem in eodem loco turricula exstructa est. Forsan turriculam Valerius nominat *statuam*, de qua nihil invenitur, nisi apud Strabonem l. III: ὁ τοῦ Πελώρου λεγόμενος πύργος ἀντίκειται ταύτῃ τῇ στηλίδι. —*Oculis collocatum*. Sic Vorst. et Torren. jubentibus fere omnibus MSS. et edd. vett. *Collocatum* construatur cum *indicium*. Pighius ex Camp. *oculis expositum*. Coler. audacter ex conjectura,

2. Jam Atheniensium civitas ad vesaniam usque temeraria[1], quæ decem universos imperatores suos, et quidem a pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necavit; quod militum corpora, sævitia maris interpellante, sepulturæ mandare non potuissent: necessitatem[2] puniens, quum honorare virtutem deberet.

CAPUT IX.

De errore.

1. Plebis romanæ. — 2. C. Cassii Longini procos. — 3. Satellitum Lartis Tolumnii regis.

Temeritati proximus est error; quemadmodum ad lædendum par, ita cui facilius quis ignoverit, quia non sponte, sed vanis concitatus imaginibus, culpæ se implicat: qui quam late in pectoribus hominum vagetur, si complecti coner, vitio, de quo loquor, sim obnoxius; paucos igitur ejus lapsus referemus.

1. C. Helvius Cinna[3] tribunus plebis ex funere C. Cæsaris domum suam petens, populi manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quem sævire se existimabat; iratus ei, quod, quum affinis esset Cæsaris, adversus eum nefarie raptum[4], impiam pro rostris orationem habuis-

oculatum... Aldus aliæque edd. *collocata*, unde Perizon. conjicit exponendum vel *collocata in oculis*, vel *colloc. illic indicium est oculis*. Fatetur Kapp. lectionem *oculis collocatum* sibi non satis placere; quod tamen aliorum lectio melior non videtur, illam retinet.

1. *Temeraria*. Vid. Ælian. III; supr. III, 8, ext. 3.

2. *Necessitatem*. Necessitate enim prohibiti prætores corpora sepelire non poterant: igitur Athenienses necessitatem punire, quam virtutem honore prosequi maluerunt.

3. *Cinna*. A. U. 709. Dionys. 44; Appian. civ. 2; Catull. 94; Plut. et Sueton. in Cæsare. Helvius funus Cæsaris prosequutus erat. At plebs quod eum putaret Cornelium Cinnam esse, qui pro concione jure Cæsarem cæsum dixerat, in Helvium Cinnam acerbe se gessit.

4. *Raptum*. *Raptus* pro mortuo, seu exstincto.

set; eoque errore propulsus est, ut caput Helvii perinde atque Cornelii circa rogum Cæsaris, fixum jaculo ferret: officii sui[1], alieni erroris piaculum miserabile.

2. Nam C. Cassium error a semetipso pœnas exigere coegit[2]; inter illum enim pugnæ quatuor[3] exercituum apud Philippos varium, ipsisque ducibus ignotum eventum, missus ab eo Titinius centurio nocturno tempore, ut specularetur, quonam in statu res M. Bruti essent, dum crebros excessus viæ petit, quia tenebrarum obscuritas, hostesne an commilitones occurrerent, dignoscere non sinebat, tardius ad Cassium rediit: quem is exceptum ab hostibus, omniaque in eorum potestatem recidisse existimans, finire vitam properavit; quum et castra hostium invicem[4] capta, et Bruti copiæ magna ex parte incolumes essent. Titinii vero non obliteranda silentio virtus: qui oculis paulisper hæsit inopinato jacentis ducis spectaculo attonitus; deinde profusus in lacrimas, *Etsi imprudens,* inquit, *imperator, causa tibi mortis fui; tamen ne id ipsum impunitum sit, accipe me fati tui comitem;* superque exanime corpus ejus jugulo suo gladium capulo tenus demisit, ac permixto utriusque sanguine, duplex victima jacuit, pietatis hæc, erroris illa.

3. Cæterum falsa opinatio[5], nescio an præcipuam injuriam Lartis Tolumnii, Veientium regis, penatibus intulerit; nam quum in tesserarum prospero jactu per jocum

1. *Sui.* Fuit Helvius officii piaculum miserabile, dum talem officii pœnam dedit.

2. *Coegit.* Ann. U. 711. Plut. in Bruto; Appian. 4; Dionys. 47.

3. *Quatuor.* Nimirum Bruti, Cassii, Octavii et Antonii.

4. *Invicem.* Nam et castra ejus ab Antonio capta erant.

5. *Opinatio.* Ed. vet. *opinio.* — *Penatibus.* Quippe violatum jus gentium, violata et hospitii jura videntur, cum legatis in regia vis infertur. A. U. 315. Liv. IV, 17; Cic. Phil. IX, 2.

6. *Tesserarum.* Tesseræ sunt instrumenta lusoria sexangularia. Antiqui tesseris ad ludendum tribus utebantur, media ætas duabus duntaxat.

collusori dixisset, *Occide;* et forte Romanorum legati[1] intervenissent: satellites ejus, errore vocis impulsi, interficiendo legatos lusum ad imperium transtulerunt.

CAPUT X.

De ultione Romanorum.

1. Papiriæ tribus Tusculanorum in Poliam. — 2. Populi uticensis in C. Fabium Hadrianum.

De ultione Externorum.

1. Thamyris et Beronices reginarum. — 2. Juvenum quorumdam Græcorum.

DE ULTIONE ROMANORUM.

Ultionis autem quemadmodum acres, ita justi[2] aculei sunt; qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes: quos latius complecti non attinet.

1. M. Flavius[3] tribunus plebis ad populum de Tusculanis retulit, quod *eorum consilio Veliternos Privernatesque rebellatos* diceret: qui cum conjugibus ac liberis squalore obsiti, quum supplices Romam venissent, accidit, ut reliquis tribubus salutarem sententiam sequutis, sola Polia judicaret, oportere publice eos verberatos

1. *Legati.* Quatuor legatos, ut de pace agerent cum rege, missos Cicero refert, addens, illorum statuas ad suum usque tempus stetisse in rostris.

2. *Justi.* Si ultio idem sit, quod *justitia ultoria*, laudem meretur: sed admodum reproba est, si iræ tantum satisfacturi, acceptum dolorem, ferarum instar compensare ac par pari referri cupiamus. Rectius sentire et honestius agere sapiens didicit, legibus christianis meliora edoctus.

3. *M. Flavius.* Ita Pigh. ex Winch. edidit, atque ita appellatur a Livio. Cæteri *M. Fulvius.* — *Retulit.* A. U. 430. Liv. VIII, 37. — *Rebellatos.* Plurimi habent: *rebellaturos.* Sed Veliterni Privernatesque populo rom. bellum jam *fecerant*, non vero facturi demum videbantur.

securi percuti : imbellem multitudinem sub corona[1] venire; quam ob causam Papiria tribus, in qua plurimum postea Tusculani in civitatem recepti potuerunt, neminem unquam candidatum[2] Poliæ tribus fecit magistratum, ne ad eam ullus honos suis suffragiis perveniret, quæ illis vitam ac libertatem, quantum in ipsa fuit, ademerat.

2. Illam vero ultionem et senatus, et consensus omnium approbavit[3]: quum enim Hadrianus[4] cives romanos, qui Uticæ consistebant, sordido imperio vexasset, idcircoque ab his vivus esset exustus; nec quæstio ulla in urbe hac de re habita, nec querela versata est.

DE ULTIONE EXTERNORUM.

1. Claræ ultionis utraque regina, et Thamyris[5], quæ

1. *Corona*. Quod contigit mancipiis in bello captis. Gell. VII, 4.

2. *Plurimum postea Tusculani... neminem unquam candidatum*. Ita omnes codd. MSS. et edd. Sed Pighius, quia meminerat, jam diu ante Tusculanis (An. U. 373; vid. Valer. VII, 3, ext. 2.) civitatem datam, ita reformavit: *plurimum Tusculani... neminem postea candidatum*.... Cui Perizonius assentiri nequit. Civitatis enim jus datum non semper idem fuit. Hinc apud Liv. l. VIII, c. 14, nonnullis civitas *sine suffragio* datur, reliquis *cum suffragio*, qui etiam in duas novas tribus adscripti sunt. Quare credit vir doctus, jus civitatis sine suffragio Tusculanis datum esse, postea vero in Papiriam tribum eos esse adscriptos. Cur enim toties rebellarent, si plenum civitatis jus haberent? Sed si vel maxime illud habuissent, verisimile videtur, Valerium tamen non existimasse, eos fuisse jam tum cives romanos, quum de iis omnibus capitali supplicio afficiendis ad populum ferretur.

3. *Approbavit*. An. U. 669. Liv. LXXXVI; Oros. V, 19; Cic. Verr. III, 27 et 7.

4. *Hadrianus*. Hic Hadrianus collecta servorum manu imperium affectavit, et Uticæ cives rom. crudeliter vexavit : ideoque a servorum dominis omni cum familia combustus est. — *Sordido imperio*. *Sordidum* appellat *imperium*, quod Hadrianus servis, qui sordes et fex populi dicebantur, usus est ad avaritiam et crudelitatem contra dominos exercendam.

5. *Thamyris*. Rectius : Tomyris, Massagetarum regina. Vid. Justin. lib. I; Herodotum, lib. I; Ammianum Marcell. lib. XXIII, cap. 6.

caput Cyri abscissum in utrem humano sanguine repletum demitti jussit, exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim, simulque pœnas occisi ab eo filii sui exigens: et Beronice[1], quæ Laodices insidiis interceptum sibi filium graviter ferens, armata currum conscendit, persequutaque satellitem regium crudelis operis ministrum, nomine Cæneum, quem hasta nequidquam petierat, saxo ictum prostravit; ac super ejus corpus actis equis, inter infesta contrariæ partis agmina ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit.

2. Jasonem Thessalum[2], Persarum regi bellum inferre parantem, an satis justa ultio assumpserit, ambiguæ æstimationis est; Taxillo enim gymnasiarchæ, a quibusdam juvenibus pulsatum se conquesto, permisit, ut aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis imponeret: quo posteriore vindicta uso, qui vapulaverant, Jasonem interfecerunt, animi, non corporis dolore, pœnæ modum æstimantes. Cæterum parvo irritamento ingenui pudoris, maximæ rei exspectatio subruta est, quo-

1. *Beronice.* Beronice seu Laodice, Mithridatis prioris, qui Romanis adversus Aristonicum opem tulit, filia, posterioris, hostis Rom. acerrimi, soror fuit, Ariarathi Cappadociæ regis uxor. Ariarathe mortuo, filii duo erant superstites. Quum igitur Nicomedes, Bithyniæ rex, Cappadociam quasi vacuam occupasset, Mithridates regni avidus, ficta pietate, ut nepotes in paternum regnum restitueret, arma adversus Nicomedem sumpsit. Sed ubi comperit, Laodicem, seu Beronicem sororem Nicomedi nupsisse, simulata pietas in veram convertitur. Quare pulso ex Cappadocia Nicomede, Ariarathi, qui major natu erat, paternum regnum reddidit, quem deinde haud multo post, facti pœnitens occidit. Quum vero minor fratrum, qui et ipse Ariarathes dictus est, ab amicis ex Asia revocatus esset, ipse quoque ejusdem, ut vulgo creditum est, Mithridatis opera per insidias trucidatur. Quo cæso id factum, quod narrat Valerius.

2. *Thessalum.* Vid. Cic. Offic. I, 3; supra I, 8, ext. 6. Hic Jason apud omnes maximi nominis et æstimationis fuit, adeo ut nemo dubitaret, quin Persarum regem fuisset subacturus, nisi ante quam Persis institutum bellum inferret, fuisset interceptus.

niam opinione Græciæ tantum in spe Jasonis, quantum in effectu Alexandri reponitur[1].

CAPUT XI.

De improbe dictis et scelerate factis Romanorum.

1. Tulliæ Serv. F. L. Superbi regis. — 2. C. Fimbriæ trib. pl. — 3. L. Catilinæ. — 4. Magii Chilonis. — 5. C. Toranii C. F. — 6. Villii Annalis. — 7. Uxoris Vettii Salassi.

De improbe dictis et scelerate factis Externorum.

1. Duorum fratrum hispanorum. — 2. Mithridatis regis. — 3. Saniastris Tigranis regis F. — 4. L. Ælii Sejani.

DE IMPROBE DICTIS ET SCELERATE FACTIS ROMANORUM.

Nunc quatenus[2] vitæ humanæ tum bona, tum etiam mala, substitutis exemplorum imaginibus persequimur; dicta improbe et facta scelerate referantur.

1. Unde autem potius, quam a Tullia ordiar[3]? quia tempore vetustissimum, conscientia nefarium, voce improbum ac[4] monstri simile exemplum est: quum[5] carpento veheretur, et is, qui jumenta agebat, succussis frenis

1. *Reponitur.* Alii *reponebatur.* Sed prius præferendum videtur: tunc enim nondum quicquam in effectu Alexandri poterat reponi. Sensus est: Græcos etiam nunc de Jasone tam egregie judicare, ut tantum ab eo sperandum fuisse putent, quantum præstiterit Alexander.

2. *Quatenus.* Pigh. præfert *quatinus*, et discrimen secundum Festum constituit: *quatenus* signif. *qua fine; quatinus* autem *quoniam*, *quandoquidem.*

3. *Ordiar.* An. U. 218. Liv. I; Dionys. IV, 39; Flor. I, 6; Ovid. Fast. VI, v. 602, vol. VI, pag. 435 post. edit. Aur. 7; Varr. de L. L. IV.

4. *Improbum ac.* Voces illæ desunt in MSS. undecim Torrenii et in multis aliis; unde Gudius pro glossemate habet.

5. *Quum.* Ita recte Torrenius rescripsit ex MSS. Pighius *quæ quum.* Vid. Justin. XLI, 6. — *Succussis.* Pressis, inhibitis.

constitisset, repentinæ moræ causam requisivit; et ut comperit, corpus patris Ser. Tullii occisi ibi jacere, supra id vehiculum duci jussit, quo celerius in complexum interfectoris[1] ejus Tarquinii veniret: qua tam impia, tamque probrosa festinatione, non solum se æterna infamia, sed ipsum etiam vicum cognomine sceleris[2] commaculavit.

2. Non tam atrox est C. Fimbriæ[3] factum et dictum; sed si per se æstimetur, utrumque audacissimum: id egerat[4], ut Scævola in funere C. Marii jugularetur, quem postquam ex vulnere recreatum comperit, accusare ad populum instituit: interrogatus deinde, *quid de eo secus*[5] *dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset*: respondit, *se objecturum illi, quod parcius*[6] *corpore telum recepisset.* Licentiam furoris ægræ reipublicæ gemitu prosequendam!

3. L. vero Catilina[7] in senatu M. Cicerone incendium ab ipso excitatum dicente, *Sentio*, inquit, *et quidem*

1. *Interfectoris.* Qui socerum in curia medium complexum per gradus dejecit; ac deinde quum semianimis se reciperet, ad Cyprium vicum a satellitibus suis interfici jussit.

2. *Sceleris.* Nam *sceleratus vicus* dictus est, quum antea *Orbius* vocaretur. Vid. Dionys. Histor. IV, 39. Cœptus autem is clivus appellari *Orbius*, quod pronus quum esset, per orbes in Esquiliarum collem duceret; unde *orbius* ab ipsis orbibus vocatus est. Vid. Gronov. ad Liv. lib. I, cap. 48.

3. *Fimbriæ.* A. U. 667. Cic. pro Rosc. 12. Hic est Fimbria, qui occiso Valerio, cujus legatus fuerat, exercitum sibi vindicavit.

4. *Id egerat.* Id est, id operam dederat. Sic legendum, non ut Pighius et hunc sequuti Coler. et Thys. edidere, *is egerat.* Nota phrasis est *id agere*, pro *id meditari.* Virg. ecl. IX; Nep. XIV. 6. — *Scævola.* De quo Lucan. II, 126, sq.

Te quoque neglectum violatæ, Scævola, dextræ
Ante ipsum penetrale deæ semperque calentes
Mactavere focos: paucum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.

—*Jugularetur. Jugulare* quum volebant, vulnerare tantum poterant.

5. *Secus.* Male, non recte factum. Vid. Suet. Tib. 2. et ad hunc locum notas Casauboni. Consule etiam J. Fr. Gronov. ad Liv. VII, 6.

6. *Parcius.* Non satis profunde, est lentius.

7. *Catilina.* A. U. 690. Sallust.

illud si aqua non potuero, ruina exstinguam : quem quid aliud existimemus, quam conscientiæ stimulis actum a se inchoatum parricidium[1] peregisse?

4. Consternatum etiam Magii Chilonis[2] amentia pectus, qui M. Marcello datum a Cæsare spiritum[3], sua manu eripuit: vetus amicus, et[4] Pompeianæ militiæ comes, indignatus aliquem amicorum ab eo sibi præferri; Urbem enim a Mitylenis, quo se contulerat, repetentem, in Atheniensium portu pugione confodit, protinusque ad irritamenta vesaniæ suæ trucidanda tetendit; amicitiæ hostis, divini beneficii interceptor, publicæ[5] religionis, quod ad salutem clarissimi civis recuperandam attinuit, acerba labes.

5. Hanc crudelitatem, cui nihil adjici posse videtur,

Catil. 31. Cicero pro Murena 25.

1. *Parricidium*. Sensus est: Catilina, quem stimuli conscientiæ egerant, seu qui ipse negare non poterat scelus, voce sua improba inchoatum a se parricidium peregit. Manifeste opponuntur *inchoatum* et *peregisse*. *Actum* non est substantivum, sed participium referendum ad *quem*, scilicet Catilinam. Pigh. *actum a se inchoati parricidii;* Vorst. *actum simulacrum a se inchoati parricidii;* sed *simulacrum* in MSS. non invenitur, et a glossatore sine dubio additum est. Itaque Kappius non dubitavit lectionem, quæ et idoneis testibus nititur et huic loco convenit, revocare. Vid. ex. 6; *bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo.*

2. *Chilonis*. A. U. 707. Cic. ad Att. 13; Liv. CXV. — *Amentia*. Non amentia tantum, sed summa perfidia et atrocissimum facinus: nam Magius se Marcelli amicum professus erat.

3. *Spiritum*. Nam Cæsar plurimorum rogatu Marcellum in gratiam suam receperat. Vid. Cic. p. Marc. Sed ipse in patriam redire noluit, quod maluit ubique exsul, quam in patria sine libertate vivere. Deinde amicorum precibus motus, jam rediturus Romam erat, quum necaretur pugione. Magius enim invidia torquebatur, Marcellum multosque alios a Cæsare fuisse restitutos, se prætermissum. — *Mitylene* Lesbi urbs est, juxta Methymnam.

4. *Vetus amicus, et*. Pighius, quum in aliquot MSS. invenisset *vetus etiam Pompeianæ*, audacter expunxit *amicus*, quod aptissimum est, et consentaneum ei quod sequitur, *amicitiæ hostis.*

5. *Publicæ*. Nam Chilonis impietas in Marcellum ad rempubl. pertinere videbatur, quia universa civitas pro Marcelli salute magnopere laboraverat, testante Cicerone in orat. quam memoravimus.

C. Toranius atrocitate parricidii superavit[1]: namque triumvirum partes sequutus, proscripti patris sui prætorii et ornati viri latebras, ætatem, notasque corporis, quibus agnosci posset, centurionibus edidit, qui eum persequuti sunt: senex de filii magis vita et incrementis, quam de reliquo spiritu suo sollicitus, *an incolumis esset*, *et an imperatoribus*[2] *satisfaceret*, interrogare eos cœpit: e quibus unus, *Ab illo*, inquit, *quem tantopere diligis*, *demonstratus*, *nostro ministerio*, *filii indicio occideris*; protinusque pectus ejus gladio trajecit; collapsus itaque est infelix[3], auctore cædis quam ipsa cæde miserior.

6. Cujus fati acerbitatem L. Villius Annalis[4] sortitus, quum in campum ad quæstoria comitia filii descendens, proscriptum se cognosset, ad clientem suum confugit; sed ne fide ejus tutus esse posset, scelere nefarii juvenis effectum est: siquidem per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidendum eum in conspectu suo objecit: bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo.

7. Ne Vettius[5] quidem Salassus proscriptus parum amari exitus, quem latentem uxor interficiendum, quid dicam[6], tradidit, an ipsa jugulavit? Quanto enim levius est scelus, cui tantummodo manus abest?

1. *Superavit.* A. U. 710. Appian. Civil. 4; Oros. VI, 18.

2. *Imperatoribus.* Antonio, Lepido, Augusto, triumviris. Ex his exemplis patet, quam nefanda monstra dissoluta Romanorum vita tum temporis pepererit.

3. *Infelix.* MS. addit *pater.* Sed ex glossa.

4. *Sortitus.* An. U. 710. Appian. Civ. 4.

5. Eodem anno. Hic Vettius a triumviris proscriptus, quum ad posticas uxoris ædes profugisset, ab ea non est admissus. Quare vehementi indignatione commotus, ne in persequentium manus perveniret, sibi gladio pectus transfixit, posteaque crudelissimæ conjugis sanguine aspersit. Uxor igitur maritum non prodidit, sed suis manibus quodammodo jugulavit.

6. *Quid dicam.* Perizonius has voces vel utramque, vel saltem alterutram elegantius abesse putat. Immerito, et contra MSS. omnes. — *Quid dicam* sæpe legitur vel apud Cic. de N. Deor. I, 94; II, 129 et alibi.

DE IMPROBE DICTIS ET SCELERATE FACTIS EXTERNORUM.

1. Illud autem facinus, quia externum, tranquilliore affectu narrabitur[1]: Scipione Africano patris et [2]patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine Nova celebrante, duo regii filii nuper patre mortuo, in arenam processerunt, pollicitique sunt, *ibi se de regno prœliaturos, quo spectaculum illud illustrius pugna sua facerent*: eos quum Scipio monuisset, *ut verbis, quam ferro* [3] *dijudicare mallent, uter regnare deberet*, ac jam major natu consilio ejus obtemperaret, minor corporis viribus fretus, in amentia perstitit; initoque certamine, pertinacior impietas fortunæ judicio morte multata est.

2. Mithridates autem multo sceleratius[4], qui non cum fratre de paterno regno, sed cum ipso patre bellum de dominatione gessit: in quo qui aut homines ullos adjutores invenerit, aut deos invocare ausus sit, præ admiratione hæreo[5].

3. Quanquam quid hoc, quasi inusitatum illis genti-

1. *Narrabitur.* An. U. 547. Liv. XXVIII, 21.

2. *Patrui.* P. et Cn. Scipionum, in Hispania interemptorum. — *Munere.* Sanguinem hominum profusum diis inferis et occisorum manibus gratissimum esse credidit veterum superstitio. *Munus* dictum, quod ex eo, quasi munere, voluptatem cepit populus, vel quod munus inferis afferre putabant. — *Filii.* Non fratres, sed patrueles fratres fuisse, Liv. refert. Vid. XXVIII, 21.

3. *Dijudicare.* Id est, litem finire, dirimere. Sic Cicero ad Att. XIV; *nostras contentiones respublica dijudicabit.* Quidam MSS. *dijudicari.* Alii *dimicari*, *decernere*, *dimicare*, quod postremum Perizon. et Torren. auctoris esse existimant, quia ipsum, quod quæsivit Valerius, acumen in verbo *dimicare* continetur.

4. *Sceleratius.* Scil. egit; alii : *Mithridatis,* scil. facinus fuit m. s. Quia autem hoc nonnulli *Mithridatis* filio Pharnaci tribuunt, Rubenius putat legendum : *Mithridatis F. autem.* Vid. Dion. 37; Eutrop. VI, 10.

5. *Præ admiratione hæreo.* In quibusdam MSS. *præ admiratione habet.* Mendose. In Sus. et Pulm. pro *hæret*, vel *habet*, legitur, *non definio*, quod e glossemate ortum videtur. Plures MSS. et edd. *pro admiratione habetur*, id est, *habetur* pro re admiranda. Frustra.

bus miremur? quum Sariaster[1] adversus patrem suum Tigranem, Armeniæ regem, ita cum amicis consenserit, ut omnes dexteris[2] manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent[3]: vix ferrent[4] pro salute parentis tam cruenta conspiratione fœdus facientem.

4. Sed quid ego ista consector, aut quid iis immoror, quum unius[5] parricidii cogitatione cuncta scelera superata cernam? omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis viribus, ad id lacerandum pio magis quam valido affectu rapior. Quis enim amicitiæ fide exstincta genus humanum cruentis in tenebris sepelire conatum, profundo debitæ exsecrationis satis efficacibus verbis adegerit? Tu videlicet efferatæ barbariæ immanitate truculentior, habenas romani imperii, quas princeps parensque noster salutari dextera continet, capere potuisti? aut te compote furoris, in suo statu mundus mansisset? Urbem a Gallis captam, et trecentorum inclytæ[6] gentis virorum

1. *Sariaster.* Alii sic narrant: Sariaster a patre deficiens, Pompeium in Armeniam vocavit, junctisque copiis patris regnum cum Pompeio expugnare cœpit. Tigranes audito Pompeii adventu, arcem regiam tradit amicis, ipse fretus humanitate Pompeii, supplex ad eum confugit. Gratia ejus impetrata, Pompeius patrem dextra, filium sinistra manu juxta se collocat, et regnum inter eos partitur. Id ægre ferens Sariaster, invitatus a Pompeio ad cœnam respondit: *Non sibi opus esse Pompeio, se alium Romanorum inventurum, cui carior esse possit.* Quibus verbis Pompeius iratus, in vincula eum jussit conjici, eumque postea in triumphum duxit.

2. *Dexteris.* Hoc teste Herodoto inter barbaros exsecrationis et jurisjurandi mos fuit, quod et Catilina in conjuratione sua fecisse dicitur.

3. *Sorberent.* Alii *solverent.* Haud dubie male. Tacitus in simili re: *levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt.* Vid. Minut. Fel. 30.

4. *Vix ferrent.* Gronovius emendat *vix ferrem*, quod Torrenio valde placet.

5. *Unius.* Loquitur de Sejani conjuratione adv. Tiberium, de qua Sueton. in vit. Tib. Hinc apparet etiam, Valerium post Velleium Paterc. scripsisse: hic enim Sejano adhuc superstiti valde adulatur. V. Josephi hist. XVIII, 13. A. U. 783. Dionys. 57; Tacit. 5.

6. *Inclytæ.* CCCVI. Fabii, soli adversus Veientes bellum suscipientes, apud Cremeram per insidias cæsi sunt, de quibus Ovid. Fast. II, 195:

strage fœdatam, Alliensem diem, et oppressos in Hispania Scipiones, Trasimenum lacum, et Cannas, bellorumque civilium domestico sanguine madentem Æmathiam, amentibus propositis furoris tui repræsentare et vincere voluisti; sed vigilarunt oculi deorum; sidera[1] vigorem suum obtinuerunt; aræ[2], pulvinaria, templa, præsenti numine vallata sunt; nihilque, quod pro capite [3]Augusti, ac patria excubare debuit, torporem sibi permisit: et in primis auctor ac tutela nostræ incolumitatis[4], ne excel-

Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus arvis
 Tercentum Fabii ter cecidere duo.
Una domus vires et onus susceperat urbis,
 Sumunt gentiles arma professa manus.....
Nam puer impubes, et adhuc non utilis armis,
 Unus de Fabia gente relictus erat:
Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci;
 Cui res cunctando restituenda foret.

Strage fœdatam. Ita recte Torrenius restituit. Pigh. et Coler. ediderant *stragem fœdam;* sed contra codd. qui plerique habent *strage fœdatum*, ita ut *fœdatum* ad diem Alliensem referatur. Non melius. Quis enim credat Valerium ignorasse Alliensem diem, tam celebrem, ut existimaret illic cecidisse trecentos Fabios? Præstat igitur legere, *strage fœdatam*, et referre ad *urbem*, ut quæ fœdata sit strage Fabiorum, quod etiam suadere videtur copula *et*, qua Noster duas semper clades conjunxit; *urbem captam et Fabiorum cædem; Alliensem diem et Scipiones oppressos ....* — *Alliensem.* Nefastum diem, quo Romani apud Alliam a Gallis bis cæsi fugatique sunt. — *Trasimenum.* Ubi temerarius et incautus Flaminius ab Hannibale cæsus. — *Æmathiam.* In Macedonia enim primum in pharsalicis campis, deinde in philippicis, bellorum civilium procella detonuit. Sic Pighius ex Winch. rescripsit, quem deinde alii sequuti sunt. Mirum autem Kappio videtur, hoc modo Valerium de cæde Mariana et Sullana nihil dicere. Quare parum abest quin cum Torrenio, cui lectio Pighiana nimis poetica vel antiqua videtur, prætulerit lectionem editionum Pighio priorum et multorum MSS. *manantes furores;* ita ut *furores* metonymice pro furiosis auctoribus posuerit, et intellexerit auctores bellorum civilium furore instinctos, quos amenti et majore etiam furore percito Sejano opponat. Sæpe enim apud Nostrum adjuncta pro subjectis ponuntur, vel hoc ipso capite, ext. 2, *pertinacior impietas*, pro homine pertinacius impio.

1. *Sidera.* Scil. Jul. Cæsaris; aut ita dicere poterat, quod futurorum ex astris præsagus fuerit Tiberius.

2. *Aræ.* I. e. cuncta numina tunc pro imperatoria salute vigilarunt, et inprimis Jupiter.

3. *Augusti.* Non Octaviani; sed ad ipsum Tiberium nomen Cæsaris et Augusti translatum erat.

4. *Incolumitatis.* Addunt nonnulli *Jupiter*, quod a sciolo Pighius appositum censet. Non enim Jovem,

lentissima merita sua totius orbis ruina collaberentur, divino consilio providit: itaque stat pax, valent leges, sincerus privati ac publici officii tenor servatur. Qui autem hæc violatis amicitiæ fœderibus tentavit subvertere, omni cum stirpe sua populi romani viribus[1] obtritus, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendit.

CAPUT XII.

De mortibus non vulgaribus Romanorum.

1. Tulli Hostilii regis. — 2. Duarum matrum. — 3. M. Juventii Thalnæ cos. — 4. Q. Lutatii Catuli. — 5. L. Cornelii Merulæ. — 6. Herennii siculi. — 7. Licinii Macri. — 8. Cornelii Galli et T. Haterii.

De mortibus non vulgaribus Externorum.

1. Comæ, fratris Cleonis fugitivorum ducis. — 2. Æschyli poetæ. — 3. Homeri. — 4. Euripidis. — 5. Sophoclis. — 6. Philemonis. — 7. Pindari. — 8. Anacreontis. — 9. Milonis Crotoniatæ. — 10. Polydamantis Scotussæi.

DE MORTIBUS NON VULGARIBUS ROMANORUM.

Humanæ autem vitæ conditionem præcipue primus et ultimus dies continet, quia plurimum interest, quibus auspiciis inchoetur, et quo fine claudatur; ideoque eum demum felicem fuisse judicamus, cui et accipere lucem

sed ipsum Tiberium, cui h. l. adulatur, *auctorem ac t. n. i.* appellat. — *Merita.* Regnante Augusto tandem pax fuit in toto terrarum orbe, quo in statu etiam Tiberius acceperat imperium.

1. *Viribus.* Ita omnes libri. Pighius, quum in Camp. invenisset *lapidibus*, audacter edidit *pedibus.* — *Obtritus.* Triduo jacuerunt Sejani filiorumque occisorum cadavera in ripa, ut ait Juvenal. sat. X, ludibrio vulgi exposita. — *Receptus est.* Formula hæc de flagitiosissimis quibusque olim usurpata: *si tamen ab orco receptus est.* Plaut. Most. II, 268. *Quem propterea Orcus ad se recipere noluit.*

prospere, et reddere placide contigit. Medii temporis cursus, prout fortuna gubernaculum[1] rexit, modo aspero, modo tranquillo motu peragitur, spe semper minor, dum et cupide votis extenditur, et fere sine ratione consumitur; nam et si eo bene uti velis, etiam parvum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando: alioqui quid attinet inerti mora gaudere, si magis vitam exigis, quam approbas? sed ne longius evager, eorum mentionem faciam[2], qui non vulgari genere mortis absumpti sunt.

1. Tullus Hostilius fulmine ictus, cum tota domo conflagravit[3]: singularem fati sortem, qua accidit, ut columen urbis, in ipsa urbe raptum, ne supremo quidem funeris honore a civibus decorari posset, cælesti flamma in eam[4] conditionem redactum, ut eosdem penates, et regiam, et rogum, et sepulcrum haberet.

2. Vix verisimile est, in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen; et tamen idem [5] valuit Nuntiata enim clade, quæ ad lacum Trasimenum inciderat, altera mater sospiti filio ad ipsam portam facta obviam, in complexu ejus exspiravit[6]: altera quum falso mortis filii nuntio domi mœsta sederet, ad primum conspe-

1. *Gubernaculum.* Fortunæ simulacrum cum cornu copiæ et gubernaculo fingebatur, tamquam ea, quæ opes tribueret et humanarum rerum regimen obtineret. — *Minor.* Vitæ cursus plerumque spe brevior est. Nam multi longiorem vitam sibi præsumunt, sive sine ratione vitam transigunt.

2. *Eorum mentionem faciam.* Pigh. Col. et Vorst. *libet eorum mentionem facere*, quod unde ortum sit ostendit Paris. prim. *sed ne longius vagari libeat, eorum mentionem faciam.*

3. *Conflagravit.* A. U. 113. Liv. I. vol. I, pag. 97, nostræ ed. Dionys. 3. Sunt, qui incensam domum insidiis Anci adscribant.

4. *In eam conditionem.* Alii, *in eadem conditione.*

5. *Idem valuit.* Id est, gaudium valuit spiritum eripere, sicut fulmen. Pigh. Coler. et Vorst. dederant *potuit.*

6. *Exspiravit.* A. U. 536. Liv. XXII, 7; Plin. VII, 32 et 53; Gell. III, 15. Olim ante *complexu* omittebatur præp. *in;* perperam.

ctum redeuntis exanimata est. Genus casus inusitatum: quas dolor non exstinxerat, lætitia consumpsit[1].

3. Sed minus miror, quod mulieres. M. Juventius Thalna[2] cos. collega Ti. Gracchi cos. iterum, quum in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis literis decretas ei a senatu supplicationes[3] nuntiantibus, intento illas animo legens, caligine orta, ante foculum collapsus mortuus humi jacuit: quem quid aliud quam nimio gaudio enectum putemus? en cui[4] Numantia, aut Carthago excidenda traderetur!

4. Majoris aliquanto spiritus dux Q. Catulus[5], cimbrici triumphi C. Mario particeps a senatu datus, sed exitus violentioris; namque ab hoc eodem Mario postea propter civiles dissensiones mori jussus[6], recenti calce illito, multoque igni percalefacto cubiculo se inclusum peremit: cujus tam dira necessitas maximus Marianæ gloriæ rubor exstitit.

5. Qua tempestate reipublicæ L. quoque Cornelius Merula consularis[7], et flamen Dialis, ne ludibrio insolen-

1. *Consumpsit.* Non autem, quasi cor in lætitia a sanguine deseratur, in dolore ad cor sanguis accurrat, ut vult Oliverius: sed potius ob apoplexiam quamdam, cujus omnes vehementiores effectus causa esse possunt.

2. *Thalna.* Ann. Urb. 590. Plin. VII, 53.

3. *Supplicationes.* Quare etiam triumphi spes illi erat; præcedebant enim supplicationes triumphum.

4. *Cui.* Hoc ironice dictum; *quid? si Numantiam aut Carthaginem sustulisset.*

5. *Catulus.* A. U. 652. Cic. Tusc. I; Juven. sat. 8. A. U. 666; Plut. in Mario; Appian. Civ. I; Vellei. II, 22; Augustin. de C. D. III. Catulus, Marii collega in IV consulatu, plurimum ad victoriam contulerat, et in ejus castra spolia et signa post cæsos hostes delata sunt, plurimi etiam victoriam ei tribuerunt; quod Marii invidiam movit adeo, ut Catulus sæva hac Marii voce, *moriatur*, finire vitam coactus sit. Alii veneno, alii ignis haustu exstinctum referunt. Facillimum putabant et dolore carens illud mortis genus, quod tradit Valerius.

6. *Mori jussus.* Nam Catulus sequutus fuerat partes Mario adversas. — *Calce illito.* Florus: *Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit.* Diversus abit Augustinus de Civ. Dei III, *haustu veneni* scribens.

7. *Consularis.* A. U. 666. App.

tissimis victoribus esset, in Jovis sacrario venis incisis contumeliosæ mortis denuntiationem effugit, sacerdotisque sui sanguine vetustissimi foci maduerunt.

6. Acer etiam et animosus vitæ exitus Herennii [1] siculi, quo C. Gracchus et aruspice, et amico usus fuerat; nam quum eo nomine in carcerem duceretur, in ejus postem illiso capite, in ipso ignominiæ aditu concidit, ac spiritum posuit: uno gradu a publico supplicio, manuque carnificis citerior [2].

7. Consimili impetu mortis C. Licinius Macer [3], vir prætorius, Calvi pater, repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Mænianum conscendit: siquidem quum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat [4], prætextam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici; ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus coartatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit: qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiavit. Igitur illustris ingenii orator [5] et ab inopia rei

I; Flor. III, 22; Augustin. de C. D. III, 17. — *Tempestas* fuit Marianus tumultus.

1. *Siculi.* A. U. 632. Vellei. II, 7, 2.

2. *Citerior.* Parum abfuit quidem, quin in carcerem detrusus necaretur a lictore; sed ille prævenit.

3. *Macer.* Ann. U. 687. Cic. ad Att. I, 4. Hic Licinius cum Cicerone quoad eloquentiam conferebatur. — *Dicerentur.* Pighius: *diriberentur.* Hæc vox quidem sæpissime occurrit: e. g. *diribere tabellas* dicebatur, qui tabellas judicibus ternas, nempe absolutionis, damnationis et ampliationis distribuebat. Erant etiam in comitiis *diribitores*, qui populo centuriatim distribuebant tabellas. Apud Ciceronem legitur etiam *diribitio.* Sed num dici possit *diribere* sententias, incertum. — *Mænianum.* Locus judicii ab ædibus Mænii denominatus. Quum enim Mænius ædes suas vendidisset, ut esset locus, ubi judicia exercerentur, columnam sibi reservavit, quam etiam tabulatis circumdedit, ut inde posset gladiatorium munus spectare cum suis.

4. *Cogebat.* Judices congregabat. — *Ponentem.* Se parantem ad agendum.

5. *Illustris ingenii orator.* C. Licinius Calvus filius, insignis orator, primum Ciceronis inimicus, deinde amicus. — *Inopia.* Si enim damnati bona sub hasta essent vendita, ad inopiam ejus familia fuisset redacta,

familiaris, et a crimine domesticæ damnationis, inusitato paterni fati genere vindicatus est.

8. Fortis hujus mors: illorum perridicula[1]: Cornelius enim Gallus prætorius, et T. Haterius eques romanus inter usum puerilis[2] Veneris absumpti sunt. Quamquam quorsum attinet eorum cavillari fata, quos non libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit? Fine namque vitæ nostræ variis et occultis causis exposito, interdum, quæ [sunt[3]] immerentia, supremi fati titulum occupant, quum magis in tempus mortis incidant, quam ipsam mortem arcessant.

DE MORTIBUS NON VULGARIBUS EXTERNORUM.

1. Sunt et externæ mortes dignæ annotatu: qualis in primis Comæ, quem ferunt maximi latronum ducis Cleonis[4] fratrem fuisse; is enim ad Rupilium consulem Ennam[5], quam prædones tenuerant, in potestatem nostram redactam, perductus, quum de viribus et conatibus fugitivorum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum, caput operuit; innixusque genibus compresso spiritu[6], inter ipsas custodum manus, inque conspectu

simulque infamia quadam notata.

1. *Perridicula.* Vid. Plin. VII, 53. Multo levius justo de re turpissima et tristi exitio loquitur Valerius, quod perversis illius ævi moribus forte tribuendum.

2. *Puerilis.* Hanc vocem, quam omnes MSS. et edd. vett. habent, Pighius expunxit, quod deest in Plinio, qui hoc exemplum a Nostro sumpsisse videtur. Sed Torrenius revocavit.

3. *Sunt.* Uncis includitur, quod a plurimis scriptis abest, et commode subintelligitur. Alii cum Pighio scribere volunt, *quædam immerentia.*

4. *Cleonis.* A. U. 621. Cleon ad LXX millia servorum teste Livio contraxerat.

5. *Ennam.* Enna oppidum est Siciliæ. Rupilius servili bello confecto leges Siculis imposuit. Vid. supra VI, 9, 8. Quantum, αὐτοχειρίαν defendens, Valerius erret, jam supra dictum. — *Ennam... redactam.* Hoc revocavit Torrenius, nam Coler. et Vorst. ex uno lib. Dan. dederant *Enna... redacta.*

6. *Compresso spiritu.* Simile genus mortis refert Appianus; p. 300.

summi imperii, exoptata securitate acquievit.[1] Torqueant se miseri, quibus exstingui, quam superesse, utilius est, trepido et anxio consilio, quanam ratione vita exeant, quærentes; ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vastas altitudines circumspiciant; tamquam magno apparatu, aut exquisita molitione opus sit, ut corporis atque animi[2] infirmo vinculo cohærens societas dirimatur; nihil horum Coma; sed intra pectus inclusa anima, finem sui reperit. Enimvero minimo[3] studio retinendum bonum, cujus caduca possessio tam levi afflatu violentiæ concussa dilabi potuit.

2. Æschyli[4] vero poetæ excessus, quemadmodum non voluntarius, sic propter novitatem casus referendus est: in Sicilia mœnibus urbis, in qua morabatur, egressus, aprico in loco resedit; super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum), perinde atque lapidi eam illisit, ut fractæ[5] carne vesceretur; eoque ictu origo et principium[6] fortioris tragœdiæ exstinctum est.

1. *Acquievit.* Pighius *quievit;* sed antiquiores typis expressi, et Brand. MSS. *acquievit.* Nepos quoque ea ratione hoc usus est verbo, quem vid. XXIII, 13, 1.

2. *Corporis atque animi.* Quidam *animæ*, sed nihil mutandum est. Vid. Cic. Tusc. 1, 9.

3. *Enimvero minimo*, Sic edd. vett. cum multis MSS. Alii *non enim nimio studio.* Plures *enimvero* (*in* addunt quidam) *nimio studio.* Vorst. et Torren. non dubitant quin Valerius scripserit: *Enimvero non nimio studio.*

4. *Æschyli.* Vid. Suidas; Plin. X, 3; Aristophan. in Ranis. Æschylus Cyrenæus, Callimachi familiaris, floruit Athenis tempore Miltiadis, circ. a. U. 260. Diu etiam commoratus est in Sicilia. Fuit, ut ait Horatius de Arte poetica, 278:

— personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

5. *Fractæ.* Ed. vet. cum multis MSS. bene omittit *testudinis*, quod in aliis antiquioribus edd. additum videtur.

6. *Origo et principium.* Teste etiam Quintiliano et Horatio in Arte poetica, et Aristophane in Ranis. Celebratur item epigrammate Antipatri:

Ὁ τραγικὸν φώνημα καὶ ὀφρυόεσσαν ἀοιδὰν,
Πυργώσας στιβαρῇ πρῶτος ἐν εὐεπίῃ,

3. Non vulgaris etiam Homeri mortis causa[1] fertur: qui in insula, quia quæstionem a piscatoribus propositam solvere non potuisset, dolore absumptus creditur.

4. Sed atrocius aliquanto Euripides finitus[2]: ab Archelai enim regis cœna in Macedonia domum hospitalem repetens, canum morsibus[3] laniatus obiit: crudelitas fati tanto ingenio non debita.

5. Sicut illi excessus illustrium poetarum et moribus et operibus indignissimi, Sophocles[4] ultimæ jam senectutis, quum in certamine tragœdiam dixisset, ancipiti sententiarum eventu diu sollicitus, aliquando tamen una sententia victor, causam mortis gaudium habuit.

6. Philemonem autem vis risus immoderati [5]abstulit: paratas ei ficus, atque in conspectu positas asello consumente, puerum, *ut illum abigeret*, inclamavit; qui quum jam comestis omnibus supervenisset; *Quoniam*, inquit, *tam tardus fuisti, da nunc merum*[6] *asello*; ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosequutus, senile guttur salebris[7] spiritus prægravavit.

Αἰσχύλος Εὐφορίωνος, Ἐλευσινίης ἑκὰς αἴης
Κεῖται, κυδαίνων σήματι Τρινακρίην.

1. *Causa*. Plut. in vit. sed Herodotus aliter. — Fuit ænigma piscatorum (venamur bis quinis canibus; quod cepimus, perdimus; quod quærimus, habemus) mortis causa; scilicet dolore confectus periit, quod illud interpretari non potuisset.

2. *Finitus*. Suidas. Gell. XV, 20. Ovid. ibid. 597. vol. VIII, pag. 00, nostræ editionis. Hygin. fab. 247. Ælian. XIII, 4. *Finiri* pro *mori*. Vid. III, 2; externa, 6; Just. lib. XXVII, cap. 3, §. 12.

3. *Morsibus*. Canum a quodam æmulo immissorum: ex vulneribus mors insequuta est, quam Archel. vehementer doluit, et illacrimatus est.

4. *Sophocles*. V. Lucian. in Macrobiis; Plin. VII, 13.

5. *Abstulit*. Conf. Suidas et Lucian. in Macrob.

6. *Merum*. Purum vinum ut bibat, ne illi ficus noceant, quæ bibentibus aquam nocere solent.

7. *Salebris spiritus*. Asperitatibus spiritus anhelitum ipsi adimentibus. Kappius sic explicat: modo concitatiore, modo remissiore spiritu Philemon guttur nimis gravavit. Torrenius malit, *guttur salubri spiritu privavit*, dum crebro anhelitu illud concutiens ipsam nimium agitati spiritus vehementiam sibi lethiferam sensit. Certe recepta lectio admodum obscura est.

7. At Pindarus[1], quum in gymnasio super gremium pueri, quo unice delectabatur, capite posito quieti se dedisset, non prius decessisse cognitus est, quam gymnasiarcha claudere jam eum locum volente, nequidquam excitaretur: cui quidem crediderim eadem benignitate deorum et tantum poeticæ facundiæ, et tam placidum vitæ finem attributum.

8. Sicut Anacreonti[2] quoque, quamvis statum humanæ vitæ modum supergresso; quem uvæ passæ succo tenues et exiles virium reliquias foventem, unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit.

9. Jungam illos, quos et propositum, et exitus pares fecit: Milo Crotoniates, quum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus, accessit ad eam, insertisque manibus divellere conatus est: quas arbor excussis cuneis in suam naturam revocata compressit, eumque cum tot[3] gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.

10. Item Polydamas[4] athleta tempestate speluncam subire coactus, nimio et subito incursu aquæ labefacta ea ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum vitanti-

1. *Pindarus*. Vid. Suidas et Hesychius. — *Gymnasiarcha*. Vid. supra, IX, 10, ext. 2.

2. *Anacreonti*. In Teio, Samo atque Athenis dulcia sua carmina cecinerat. Terminos humanæ vitæ, quos alii attingunt, jam supergressus erat. Vid. Plin. V, 7. — *Quamvis... supergresso, quem... foventem*. Hoc a Pighio est, quem omnes alii sequuti sunt. Kappius non dubitat quin Valerius scripserit *quem bis... supergressum; dum... foveret*, id est, qui quum ad summam jam pervenisset senectutem, et vitæ humanæ terminos longe jam supergressus esset, tamen inusitato mortis genere tandem periit, dum succo uvæ passæ exiles vires fovere vellet. *Status humanæ vitæ modus* est ætas, quam homines plerumque attingere solent, non vero *seculi spatium*, uti Perizonius ex Petronio observat; qui ideo frustra colligit, Anacreontem plus centum annis vixisse.

3. *Tot gymnicis palmis*. Sexies aut septies vicerat in certaminibus. Vid. Gell. XV, 16; Ovid. in Ib. 611; Strabo, VI; Suidas; Solin. 4.

4. *Polydamas*. Vid. Pausan. et Suidas. — *Vitantibus*. Sic ex ed. vet. Kappius restituit. Nonnulli le-

bus, solus restitit, tamquam humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus; sed pondere omni corpore humano potentiore pressus, imbris [causa][1] petitam latebram, dementis fati sepulcrum habuit. Possunt hi præbere documentum, nimio robore membrorum, vigorem mentis hebescere, quasi abnuente natura utriusque boni largitionem; ne supra mortalem sit felicitatem, eumdem et valentissimum esse, et sapientissimum.

CAPUT XIII.

De cupiditate vitæ Romanorum.

1. M. Aquilii legati consularis. — 2. Cn. Carbonis cos. 3. — 3. C. Junii Bruti procos.

De cupiditate vitæ Externorum.

1. Xerxis Persarum regis. — 2. Masinissæ Numidiæ regis. — 3. Alexandri Phæreorum regis. — 4. Dionysii Siciliæ tyranni.

DE CUPIDITATE VITÆ ROMANORUM.

Verum quia excessus e vita et fortuitos, et viriles, quosdam etiam temerarios oratione attigimus, subjiciamus nunc æstimationi enerves et effeminatos, ut ipsa comparatione pateat, quanto non solum fortior, sed etiam sapientior mortis interdum[2], quam vitæ, sit cupiditas.

gunt *vitantibus, egressis*, ubi *egressis* ex glossa ortum, uti jam vidit Perizonius. Torrenius sibi persuadet, utrumque a Valerio profectum esse, quod Kapp. nullo modo credere potest.

1. *Imbris causa.* Sic Pighius aliique. Aldus *imbribus*, id est, quum imbres essent, omisso *causa*. Plures MSS. *imbris*, quod Kappius pro *imbribus* dictum existimat, sicut *poematis* pro *poematibus*. Quare *causa* uncis inclusum est. — *Dementis fati.* Mortis per dementiam initæ: nunquam aliud sortitus est sepulcrum.

2. *Interdum.* Recte addit *interdum*. Non enim semper mortis cupiditas fortis, nec vitæ, enervis animi est:

1. M. Aquilius[1], quum sibi gloriose exstingui posset, Mithridati maluit turpiter servire: quem ne aliquis[3] merito dixerit pontico supplicio, quam romano imperio digniorem? quoniam commisit, ut privatum opprobrium publicus rubor exsisteret.

2. Cn. quoque Carbo magnæ verecundiæ est latinis annalibus[2]: tertio in consulatu suo jussu Pompeii in Sicilia ad supplicium ductus, petiit a militibus demisse et flebiliter, ut sibi alvum levare, priusquam exspiraret, liceret, quo miserrimæ lucis usu diutius frueretur, eo[3] usque moram trahens, donec caput ejus sordido in loco sedentis abscinderetur. Ipsa verba tale flagitium narrantis secum luctantur; nec silentio amica[4], quia occultari non merentur; nec relationi familiaria, quia dictu fastidienda sunt.

3. Quid? Brutus exiguum et infelix momentum vitæ quanto dedecore emit[5]! qui a Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum cervicem gladio subtraxit, verum etiam constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis juravit: *Ita vivam*[6],

nec spernenda, maximum hominis bonum, vita; sed omni potius solertia servanda.

1. *Aquilius*. Ann. U. 665. Liv. LXXVIII; Appian. Mithridat.; Plut. in Sulla; Cic. p. leg. Man. 5. Aquilius, quum infeliciter pugnasset, maluit captus in servitutem regis venire, quam fortiter pugnando, aut mortem sibi inferendo interire. — *Exstingui posset*. Alii, *mortem consciscere posset*, forte ex interpretatione τοῦ *exstingui*. — *Quem ne aliquis*. Variant MSS. Alii, *quem non quis*; al. *quem aliquis*; al. *quem quis non immerito*, quod Kappius prætulerit. Perizonius legit, *quem næ aliquis*.

2. *Annalibus*. Anno Urbis conditæ 671. Liv. lib. LXXXIX; App. Bell. Civ. c. 1; supra, l. V, c. 3, n. 5.

3. *Eo usque*. Libri variant inter *eoque* et *eo usque*. Utrumvis eligatur, explicandum erit *eo*, ob id. Attamen *donec*, quod sequitur, arguere videtur solum *eo* hic non sufficere, sed addi oportere *usque*. Vid. I, 7, ext. 5.

4. *Amica*. Quia nullo modo tacendum sit, quum reprehensionem mereatur. — *Relationi*. Non *relatione*, ut Pighius et alii ediderunt. *Familiaria* et quod præcedit *amica*, eum casum omnino requirit. Unus Brand. *orationi*. Male.

5. *Emit*. A. U. 710. Dionys. 46; Liv. CXX; App. 3.

6. *Vivam*. Ita mihi contingat vivere, ut cervicem constantius præ-

dabo. O fati cunctationem ærumnosam! o jurandi stolidam fidem! Sed hos tu furores, immoderata retinendi spiritus dulcedo, subjicis, sanæ rationis modum expugnando, quæ vitam diligere, mortem non timere præcipit.

DE CUPIDITATE VITÆ EXTERNORUM.

1. Eadem Xerxem[1] regem pro totius Asiæ armata juventute, quod intra centum annos esset obitura, profundere lacrymas coegisti; qui mihi specie alienam, revera suam conditionem deplorasse videtur, opum magnitudine, quam altiore animi sensu felicior; quis enim mediocriter prudens mortalem se natum fleverit?

2. Referam nunc eos[2], quibus aliquos suspectos habentibus exquisitior sui custodia quæsita est; nec a miserrimo, sed ab eo, qui inter paucos felicissimus fuisse creditur, incipiam: Masinissa rex[3], parum fidei in pectoribus hominum reponens, salutem suam custodia canum[4] vallavit.

bebo. Hoc confirmavit fere mentis impos, juramento. Quum enim jam mori deberet, stultum erat per vitam jurare. Formula autem vetus est: *Ita vivam, dabo*, seu *ut dabo*. Vide Senecam, ep. 83; Ciceronem ad Atticum, V, 15.

1. *Xerxem*. Vid. Herodot. 7. Quum Xerxes ingentem suum exercitum in patente campo de superiore loco conspiceret, in eam cogitationem venit, ut diceret, intra C annos eorum neminem fore superstitem; quibus verbis et suæ vitæ brevitatem deploravit.

2. *Referam nunc eos*. Ed. vet. aliæque cum MSS. hoc loco novum caput incipiunt hoc titulo: *Quam exquisita custodia usi sint, quibus suspecti domestici fuere.*

3. *Masinissa rex*. Addunt quidam *Numidarum, et populi romani amicissimus*, quod Pighius ejecit, utpote natum ex aliquo glossemate otioso.

4. *Canum*. Vid. Plin. VIII, 40. De *canibus* mira narrantur: v. c. Garamantum regem ducenti canes ab exsilio reduxerunt, præliantes adversus resistentes. Colophonii et Castabalenses canibus in bella ductis, primas acies instruxerunt. Appio Junio et Ap. Sisio coss. damnatum dominum canis, quum abigi non posset, comitatus in carcerem, mox percussum, ululatu prosequutus est; quumque ex miseratione quorumdam potestas ei cibi fieret, ad os defuncti escam tulit: ultimo inde dejectum in Tiberim cadaver innatans sustentare conatus est. Lysimachi regis canis accenso rogo domini flammæ se injecit, et pariter

Quo tam late patens imperium? quo tantus [1] liberorum numerus? quo denique tam arcta benevolentia constricta romana amicitia, si ad hæc tuenda nihil canino latratu ac morsu valentius duxit?

3. Hoc rege infelicior Alexander [2], cujus præcordia hinc amor, hinc metus torserunt; nam quum infinito ardore conjugis Thebes teneretur, ad eamdem ex epulis in cubiculum veniens, barbarum compunctum notis [3] threiciis, stricto gladio jubebat anteire, nec prius se ibidem lecto committebat, quam a stipatoribus diligenter esset scrutatus: supplicium irato deorum numine compositum, neque libidini, neque timori posse imperare. Cujus timori eadem et caussa, et finis fuit; Alexandrum enim Thebe pellicatus [4] ira mota interemit.

4. Age, Dionysius Syracusanorum tyrannus [5] hujusce tormenti quam longa fabula! qui duodequadraginta annorum dominationem in hunc modum peregit: submotis amicis, in eorum locum ferocissimarum gentium homines, et a familiis locupletum [6] electos prævalidos servos, quibus latera sua committeret, substituit; tonsorumque metu,

igne absumptus est. Quomodo Hispani in America occupanda canibus sint abusi, constat.

1. *Liberorum*. Quorum quinquaginta ei tribuunt. — *Numerus*. Ita plerique MSS. Viri tamen docti malint casum quartum, quem libri quidam præferunt, *tantum numerum*.

2. *Alexander*. Cic. Offic. III, 7; de Inv. II, 49; Epp. ad fam. IX, 22; Diodor. Sic. XVI. Hic fuit Alexander Pheræus. Nepos, XVI, 5, 1, p. 169, vol. XVII nostræ collectionis; Ælian. lib. XIV, cap. 40.

3. *Threiciis*. Thraces enim servis suis fugitivis notas candenti ferro inusserunt. Sed et alii Thraces quibusdam stigmatibus, tamquam fortitudinis insignibus, se pungere solebant. Ejusmodi signis afficere corpora, Israelitis fuit vetitum. Quod ornamenti causa apud complures barbaros et nunc locum habet.

4. *Pellicatus*. Adulterii.

5. *Tyrannus*. Vide Ciceronem, Tusculan. Quæst. lib. V, cap. 20; Offic. II, 17; Diodor. Sicul. XX; Plut. in Dione; Ælian. IV, 18.

6. *A familiis locupletum*. Mos ille tyrannorum non præteritus a Plutarcho de republ. VIII. — *Substituit*. Nonnulli MSS. cum edit. vet. *sustinuit*. Pigh. et Coler. *substitit*. Male.

tondere filias suas docuit: quarum ipsarum[1], postquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferrum non ausus committere, instituit, ut candentium juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent; nec securiorem maritum egit, quam patrem; duarum enim eodem tempore, Aristomaches syracusanæ et locrensis Doridis, matrimoniis illigatus, neutrius unquam, nisi excussæ[2], complexum petiit; atque etiam cubicularem lectum, perinde quasi castra, lata fossa cinxit: in quem se ligneo ponte recipiebat, quum forem cubiculi extrinsecus a custodibus opertam, interiorem claustro ipse diligenter obserasset.

CAPUT XIV.

De similitudine formæ Romanorum.

1. Cn. Pompeii Magni cum Vibio et Publicio. — 2. Cn. Pompeii Strabonis cum Menogene coquo. — 3. P. Scipionis Nasicæ cum Serapione victimario. — 4. P. Lentuli et Q. Metelli coss. cum Spinthere et Pamphilo histrionibus. — 5. M. Messallæ et C. Curionis cum Menogene et Burbuleo scenicis.

De similitudine formæ Externorum.

1. Antiochi regis Syriæ cum Artemone quodam. — 2. Hybreæ oratoris cum servo Cymæorum publico. — 3. Siculi piscatoris cum prætore romano.

DE SIMILITUDINE FORMÆ ROMANORUM.

De similitudine autem oris, et totius corporis, [3]altiore

1. *Ipsarum*. Pighius hanc vocem expunxit. Male. Etenim non nihil valet *ipsarum* ad exprimendam tyranni diffidentiam, qui ne suis quidem filiabus vitam committere ausus est. Immo Cicero in hac ipsa re, Tusc. V, *et tamen ab illis ipsis ferrum removit*. — *Juglandium*. Sic expresse ed. vet. Quidam *juglandium ac nucum putaminibus*. Ex glossa. Vorstius conjicit *juglandium nucum;* quod illi *nux juglans* per appositionem dici posse videtur, ut *nux castanea* apud Virgil. A qua conjectura Torrenius non abhorret. Num *juglans* idem sit ac *Jovis glans?* Vid. Macrob. II, 14; et Gravius Bassus de Significatione verborum.

2. *Excussæ*. Probe pervestigatæ, an ferrum haberet. De *Doride*, vid. Ælian. IX, 8; XIII, 10. Pighius, Colerus et Thysius *Cloridis*, minus recte, et contra libros.

3. *Altiore*. Alludit forsan ad Ana-

doctrina præditi subtilius disputant, eorumque alii in ea sunt opinione, ut existiment, illam origini et contextui sanguinis respondere; nec parvum argumentum ex cæteris animalibus trahunt, quæ fere gignentibus similia nascuntur: alii negant certam hanc esse naturæ legem, sed species mortalium, prout fortuita sors conceptionis obtulit, attribui; atque ideo plerumque ex speciosis deformes, et ex robustis invalidos partus edi. Verum quoniam ista quæstio in ambiguo versatur, pauca inter alienos conspectæ similitudinis exempla referemus.

1. Magno Pompeio Vibius[1] ingenuæ stirpis, et Publicius libertinus ita similes fuerunt, ut permutato statu et Pompeius in illis, et illi in Pompeio salutari possent; certe quocunque aut Vibius, aut Publicius accesserant, ora hominum in se obvertebant, unoquoque speciem amplissimi civis[2] in personis mediocribus annotante: quod quidem fortuitum ludibrium, quasi hereditarium ad eum penetravit.

2. Nam pater quoque ejus[3] eousque Menogenis, coqui sui, similis esse visus est, ut vir et ferox animo, et præpotens armis, sordidum ejus nomen repellere a se non valuerit.

3. Eximiæ vero nobilitatis adolescens Cornelius[4] Scipio, quum plurimis et clarissimis familiæ suæ cognominibus abundaret, in servilem *Serapionis* appellationem vulgi sermone impactus est, quod hujusce nominis victimario

xagoræ homœomeriam, quæ est omnium membrorum similitudo in rebus creandis, id est, ex ossibus, sanguine et medullis, ut Servius interpretatur. Vid. Plin. VII, 12, et Plut. de philos. placitis, V, 11 et 12.

1. *Vibius.* Solin. V. — *Ingenuæ.* Sed e plebe. Vid. Plin. l. c.

2. *Civis.* Scilicet Pompeii.

3. *Ejus.* Strabo, a specie oculorum hoc cognomen adeptus. Alii volunt, eum ab eodem Menogene Strabone sic fuisse cognominatum. Vid. Plin. l. c. An. U. 664.

4. *Scipio.* Nasica, cujus præcipue consulatus ann. U. 615 laudatissimus fuit. — *Victimario.* Hic erat sacerdotum minister, varia sacrifi-

quam similis erat. Nec illi aut morum probitas, aut respectus tot imaginum, quo minus hac contumelia adspergeretur, opitulata sunt.

4. Generosissimum consulatus collegium[1] Lentuli et Metelli fuit: qui ambo in scena propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt; sed alter ex quodam secundarum cognomen *Spintheris* traxit: alter, nisi *Nepotis* a moribus[2] accepisset, Pamphili tertiarum, cui simillimus esse ferebatur, habuisset.

5. At M. Messalla consularis et censorius, *Menogenis*[3]; Curioque omnibus honoribus abundans, *Burbulei*: ille propter oris adspectum, hic propter parem corporis motum, uterque scenici nomen coactus est recipere.

DE SIMILITUDINE FORMÆ EXTERNORUM.

1. Abunde sint hæc de domesticis, quoniam et personis sunt excellentia, et non obscura notitia celebrantur. Regi Antiocho[4] unus ex æqualibus, et ipse regiæ stirpis,

cantibus ministeria præstans. Plin. l. cit. Serapionem vile mancipium negotiationis suariæ fuisse scribit. E Livio cognoscimus, ab irridente Curiatio trib. pleb. hoc ei cognomen impositum esse. Vid. Liv. LV.

1. *Generosissimum consulatus collegium*. Ita Pighius, ex plerisque MSS. Alii *generosissimus consulatus collegio;* quod magis placet Gronovio, qui tamen ex vett. edd. et MSS. legendum putat, *generosissimus consulatus, collegium*. — *Lentuli*. An. U. 696. Lentulus hic Spinther est, qui consul de Cicerone ab exsilio revocando retulit et postea proconsule in Ciliciam est profectus. Spinther autem fuit histrio, isque secundarum partium. Nimirum in scena alii primarum, alii secundarum, alii tertiarum partium actores dicebantur. Vid. Cic. Verr. I.

2. *Moribus*. Colerus et Perizon. legendum putant *a majoribus*. Sed rectius Kappius, Nepotem dictum esse a moribus: nam luxuriosos homines sæpe *nepotes* vocarunt. Hinc *nepotatus*, ἀσωτία. — *Tertiarum*. Quidam *retiarii*. Male. Non enim de gladiatoribus sed de histrionibus loquitur Valerius. Leid. quint. *tertiarii*, quod quidem viri docti malint.

3. *Menogenis*. Vid. Plinius, VII, 12; Solin. V. Anno Urbis conditæ 698. cens. Messalla; ann. U. 577, cos. Curio.

4. *Antiocho*. Vid. Polybium ex c

nomine Artemon, perquam similis fuisse traditur: quem Laodice, uxor Antiochi, interfecto viro, dissimulandi sceleris gratia, in lectulo perinde quasi ipsum regem ægrum collocavit; admissumque universum populum, et sermone ejus et vultu consimili fefellit; credideruntque homines ab Antiocho moriente Laodicen et natos ejus sibi commendari.

2. Hybream[1] autem Mylasenum, copiosæ atque concitatæ facundiæ oratorem, Cymæorum servo strigmenta gymnasii colligenti tam similem ferunt, ut tantum non germanum fratrem totius Asiæ oculi assignarent; ita lineamentis oris et omnium membrorum compares erant.

3. Ille vero, quem in Sicilia prætoris admodum similem fuisse constat, petulantis fuit animi[2]: proconsule enim dicente, *mirari se, quapropter sui tam similis esset, quum pater suus in eam provinciam nunquam accessisset*: *At meus*, inquit, *Romam frequenter accessit*. Joco namque lacessitam matris suæ pudicitiam, invicem suspicione in matrem ejus rejecta[3], audacius, quam virgis et securibus subjecto conveniebat, ultus est.

leg. cap. 140. — *Regiæ stirpis*. Juxta alios e syriaca plebe fuit.

1. *Hybream*. Hybreas, egregius orator, discipulus fuit Diotrephæ Antiocheni, coævus Strabonis. Vid. ejus l. XIII; et Plut. in Anton. — *Mylasenum*. Mylasa est urbs Cariæ; Cyme, Æolidis. — *Cymæorum ..... strigmenta*. *Strigmenta* sunt sordes, quæ ex athletarum aliorumque in gymnasiis se exercentium corporibus detergebantur. Plin. XV, 4; habet *strigmenta olei*. Aldus ediderat *gymnicorum stramenta*. Sed contra omnes MSS. — *Tantum non*. Hæc vocabula Pighius ex MSS. omisit, nec habet ea ed. vetus. Alii *tanquam*. Multi deinde *assignarunt*, non recte, judice Vorstio, quod præcedit *ut;* unde Torrenius conjicit, *assignarint*.

2. *Animi*. Vid. Plin. VII, 12. Solin. V, hæc narrat: « Piscator siculus proconsuli Suræ præter alia etiam rictu oris comparabatur, ita ut in eodem vocis impedimento et tardatæ sonus linguæ naturalibus offendiculis congruerent. » Jocosum vero responsum Macrobius in Augustum refert.

3. *Rejecta*. Alii; *regesta*. Dicitur enim: *regerere invidiam*, Quint. XI, 1, 22; *crimen*, Senec. Hippol. 718. Convenientior autem est Valerii dicendi modo paronomasia: *rejecta*, *subjecto*.

CAPUT XV.

De his qui per mendacium se in alienas familias inseruerunt apud Romanos.

1. L. Equitius Firmanus. — 2. Herophilus medicus equarius. — 3. Octaviæ sororis Aug. falsus filius. — 4. Q. Sertorii falsus filius. — 5. Trebellius Calca. — 6. Cn. Asinius Dio falsus.

De his qui per mendacium se in alienas familias inseruerunt apud Externos.

1. Rubria mediolanensis falsa. — 2. Ariarathes Cappadociæ rex falsus.

DE HIS QUI PER MENDACIUM SE IN ALIENAS FAMILIAS INSERUERUNT APUD ROMANOS.

Sed tolerabilis hæc, et uni [1] tantummodo anceps temeritas; quod sequitur impudentiæ genus, nec ferendum ullo modo; periculique tum privatim, tum etiam publice late patentis.

1. 2. Nam ut [2] Equitium, Firmo piceno monstrum veniens, relatum jam in hujusce libri superiore parte, prætercam, cujus in amplectendo Tib. Graccho patre evidens mendacium, turbulento [3] vulgi errore, amplissima tribunatus potestate vallatum est; Herophilus [4] equarius medicus C. Marium septies consulem avum sibi vindicando ita se extulit, ut coloniæ veteranorum complures, et

1. *Uni.* Periculosa tantum piscatori siculo, qui Suræ procos. temere satis respondit.

2. *Ut.* Pighius *ne.* Sed haud dubie Valerius scripsit *ut*, et hoc exemplum, quia jam supra retulerat, breviter repetit, et sequenti annectit. — *Veniens.* An. U. 657. Cic. pro Rabirio, 7; supra III, 2, 18; III, 8, 6. Firmum picenum est oppidum agri piceni : unde Firmiani.

3. *Turbulento.* De quo tumultu vid. supra IX, 7, 1.

4. *Herophilus.* An. U. 709. Cic. ad Att. XIV; App. Civ. I; Livius, CXVI. — *Veteranorum.* Solebant Romani veteranos et emeritos mi-

municipia splendida, collegiaque fere omnia patronum adoptarent; quin etiam quum C. Cæsar, Cn.[1] Pompeio adolescente in Hispania oppresso, populum in hortis suis admisisset, proximo intercolumnio pæne pari studio frequentiæ salutatus est; quod nisi divinæ Cæsaris vires huic erubescendæ procellæ obstitissent, simile vulnus respublica excepisset, atque in Equitio acceperat. Cæterum decreto ejus extra Italiam relegatus, postquam ille cælo receptus est, in urbem rediit, et consilium interficiendi senatus capere sustinuit; quo nomine jussu patrum necatus in carcere, seras prompti animi ad omne moliendum scelus pœnas pependit.

3. Nec divi quidem Augusti[2] etiamnum terras regentis excellentissimum numen ab hoc injuriæ genere intentatum; exstitit enim, qui *clarissimæ ac sanctissimæ sororis ejus Octaviæ utero se genitum* fingere auderet; *propter summam autem imbecillitatem corporis, ab eo, cui datus erat, perinde atque ipsius filium retentum, subjecto in locum suum proprio filio,* diceret: videlicet, ut eodem

lites ad capta oppida mittere, eorumque bona, qui rebelles contumacesque fuerant, illis assignare. *Municipia* oppida erant jure civium romanorum donata, suo jure autem, magistratibus et legibus utentes, vel cum, vel sine suffragio. Vid. Gell. XVI, 13; Rosini Ant. 991 seqq.

1. *Pompeio*. Filii Cn. Pompeii M., *Cnæus* et *Sextus*, exstincto patre bellum contra Cæsarem instaurarunt. Sed Cnæus prælio in Hispania commisso profugus atque avia petens a Cæsonio pugnans interfectus est: minorem Sextum aliis post Cæsarem bellis fortuna reservavit. Vid. Flor. IV, 2, 86. — *Intercolumnio*. Id est, spatio columnis interjecto. Cic. ad Quint. frat. III, 1. — *Frequentiæ*. Id est, populi frequentis. Sic sæpe Cicero.

2. *Augusti*. Fuit, qui se Octaviæ et M. Antonii filium mentiretur. Sed hæc Octavia magnæ virtutis femina erat. Neglecta ab Antonio propter pellicem, Antonii tamen domum non deseruit, ut famam tueretur, neque filiorum ejus curam remisit, sed diligenter eos excoluit. Deinde quum Antonius divortii libellum ei misisset, coacta quidem egredi, aliquot tamen Antonii filios secum duxit, inique ferens, quod et ipsa aliquam civili discordiæ causam præberet.

tempore sanctissimi penates, et veri sanguinis memoria spoliarentur, et falsi sordida contagione inquinarentur; sed dum plenis impudentiæ velis, ad summum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti, remo[1] publicæ triremis affixus.

4. Repertus est etiam, qui se diceret esse Q. Sertorii[2] filium: quem ut agnosceret uxor ejus, nulla vi compelli potuit.

5. Quid Trebellius Calca? quam asseveranter se Clodium tulit! et quidem dum de bonis ejus contendit, in centumvirale judicium[3] adeo favorabilis descendit, ut vix justis et æquis sententiis[4] consternatio populi ullum relinqueret locum: in illa tamen quæstione neque calumniæ petitoris, neque violentiæ plebis judicantium religio[5] cessit.

6. Multo fortius ille, qui Cornelio Sulla rerum potiente, in domum Cn. Asinii[6] Dionis irrupit, filiumque ejus patriis penatibus expulit, vociferando, *non illum, sed se Dione esse procreatum;* verum postquam a Sullana violentia Cæsariana æquitas reduxit gubernacula romani imperii, justiore principe rempublicam[7] obtinente, in publica custodia spiritum posuit.

1. *Remo.* Jam inter Veteres moris erat, perniciosos et perditos ad remigium damnare.

2. *Sertorii.* Qui Nursia Sabinorum urbe oriundus, non obscuro genere natus, orator prius, deinde clarissimus imperator tempore civ. bellorum fuit.

3. *Judicium.* Vide supra de judiciis, et hasta centumvirali.

4. *Sententiis.* Ut vix permiserit, contra eum, ut justum erat, sententiam ferri. Plebs velut amens in Trebellii favorem concitata videbatur.

5. *Religio.* Justa observatio jurisjurandi ex religione.

6. *Asinii Dionis.* Sic Pighius quem alii sequuti sunt. Olim edebatur *Cn. Assidionis.* MSS. variant.

7. *Rempublicam.* *Rempublicam* aliqui extrudunt, et commode possit abesse. In multis quoque codicibus non exstat; sed tunc legendum *reluxit* pro *reduxit*, hoc modo: « Verum postquam a Sullana violentia Cæsariana æquitas reluxit, gubernacula Romani imperii justiore principe obtinente. » Quæ forma loquendi a Valerio non aliena est,

DE HIS QUI PER MENDACIUM SE IN ALIENAS FAMILIAS INSERUERUNT APUD EXTERNOS.

1. Eodem præside reipublicæ in consimili mendacio muliebris temeritas Mediolani repressa est: siquidem quum se pro Rubria quædam, perinde ac falso credita esset incendio periisse, nihil ad se pertinentibus bonis insereret, nec ei aut tractus ejus splendidi testes, aut cohortis Augusti favor[1] deesset, propter inexpugnabilem Cæsaris constantiam irrita nefarii propositi abiit.

2. Idem barbarum quemdam, ob eximiam similitudinem Cappadociæ regnum affectantem, tamquam Ariarathes esset, quem a M. Antonio interemptum luce clarius erat, quamquam pæne totius Orientis civitatum et gentium credula suffragatione fultum, caput imperio[2] dementer imminens, justo impendere supplicio coegit.

nec adeo ab ipsa veritate; constat enim post Sullæ dominationem non statim imperii gubernacula ad Cæsarem esse reducta.

1. *Augusti favor.* Perizonius legere suadet : *cohortis Augustæ*, « quod non conveniat, eumdem hic *Augustum*, altera linea Cæsarem vocari. » Sed hoc a Valerio nostro non adeo alienum, ut textum mutemus.

2. *Imperio.* Quod Ariarathes obtinuerat. — *Coegit.* Ordo est : idem Augustus coegit barbarum quemdam.... impendere justo supplicio, quamquam caput dementer imminens imperio fulciretur credula suffragatione civitatum et gentium totius Orientis.

FRAGMENTUM
LIBRI DE NOMINIBUS
QUI IN QUIBUSDAM CODD. TITULUM
LIBRI DECIMI
PRÆFERT.

C. TITI PROBI
IN EPITOMEN SUAM
PRÆFATIO.

DECIMUS hujus operis liber, qui et ultimus est, vel ex negligentia, aut malevolentia librariorum deperiit. Abbreviator titulos ejus habebat integre fortassis: tamen de uno tantum, hoc est, de prænomine, epitoma repræsentabat.

ALIA PRÆFATIO.

DECIMUS atque ultimus hujus operis liber, seu studiosorum inertia, seu scriptorum segnitia, seu alio quovis casu ætati nostræ perditus est. Verum Julius Paris abbreviator Valerii post novem libros explicitos, hunc decimum sub infra scripto compendio complexus est; per

quod de nominibus, prænominibus, cognominibus, atque agnominibus fuisse eumdem a Valerio compositum conjectare licet. Verba quidem Julii Paridis hæc sunt: *Liber decimus de prænominibus, et similibus.*

PRÆFATIO
STEPHANI PIGHII
EPITOMÆ DE NOMINIBUS PRÆFIXA.

Veteres libri omnes, quos vidimus, tam manuscripti, quam impressi, nobis repræsentant Valerii Maximi hoc opus ita libris novem distinctum: in aliquibus tamen reperitur cujusdam epitomes fragmentum, in fine annexum pro libro decimo, prorsus tamen remotum et alienum ab argumento scopoque librorum Valerii Maximi. Nihil enim aliud docet, nisi aliquarum appellationum, seu nominum romanorum, rationes. Quæ quidem epitome ex alio antiquo auctore collecta est a Julio Paride, sicut nonnulli produnt codices: cujus fragmentum hoc duntaxat de prænominibus repertum quidam librarii priores Valerio Maximo adjunxerunt, tamquam ex ejus libro exemplorum decimo contractum; moti, ut apparet, quod in eodem fragmento citetur Valerius, non tamen Maximus: istud enim non potest affirmari ex simplici illo nomine, sicut in multis exemplaribus reperitur. Sed Antiatem citari, unum exemplar manu scriptum doctissimi J. Sambuci liquide declarat, quemadmodum suo loco dicemus in annotationibus. Jam addiderunt alium errorem, qui C. Titium Probum, nescio quem, ut hujus epitomes

auctorem protulerunt; id quod ex hujus fragmenti fine temere deprompsisse videntur. Nam id ipsum præfatiunculæ librariorum judicio diversimode confictæ palam faciunt tam ipso stilo, quam quod alterius, ut suo modo loquuntur, abbreviatoris mentionem afferunt. Eas autem duas in primis discrepantes, mox cum eodem epitomes fragmento subjungemus; quamvis clare liqueat, non esse Valerii Maximi, et ejus auctor verus adhuc in obscuro lateat. Attamen quia sapit antiquitatem non ineruditam, et scholiorum loco studiosis servire poterit ad linguæ ac historiæ romanæ cognitionem, ritusque veteres discendos, id ipsum emendatum ex fide exemplarium manuscriptorum, sicut ante Valerio Maximo fuit annexum, nunc visum est Plantino nostro simul cum eodem libro recudere et publicare. Vale. Vienna Austriæ, idibus Januariis, anno salutis nostræ MDLXXIV.

DE PRÆNOMINE.

VARRO simplicia in Italia fuisse nomina ait, existimationisque suæ argumentum refert, quod Romulus et Remus et Faustulus [1] neque prænomen ullum, neque cognomen habuerunt. Qui ab eo dissentiunt, aiunt matrem eorum Ream Silviam [2] vocatam; avum Silvium Numitorem; fratrem ejus, Amulum Silvium: et superiores Albanorum reges, Capetum Silvium, Agrippam Silvium; posterioresque duces Metium Suffetium, et Tutorem Clœlium [3] vocatos: nec contenti his ad Sabinos transgrediuntur, et Titum Tatium, Numam Pompilium, et patrem ejus Pompum Pompilium [4]; ejus denique regionis

1. *Quod Romulus, et Remus, Faustulus.* Deest altera copula. Nam in Campensi, et aliis manuscriptis sic legitur, *et Remus, et Faustulus.* Cæterum Varronis opinionem istam sequitur item Appianus Alexandrinus, scribens Romanos ab initio usos uno nomine, dein duobus, postea tribus. PIGH. *Et Remus, et Faustulus* etiam MSS. nostri.

2. *Rheam Sylviam.* Alii, *Ream Silviam.* Quæ orthographia antiqua est romana non græciscans; quippe sine aspiratione, et per *i* in Silviorum nomine. Mox erat, *Amulium Silvium.* Dedimus, *Amulum Silvium.* Etenim prisca hæc fuere prænomina apud Albanos, Amulus, Romulus, Numitor, Tutor, nec non Romus, Remus, et alia quæ postmodum usurpata obsoleverunt. Deinde habetur, *Agrippam Silvium.* In vet. c. *Agripam Silvium.* Item antiq. simplici *p.* Nam ab ægro partu prænomen inventum est. In Sambuci codice hic omittitur. De *Rhea Silvia* videndæ omnino Epistolæ Theod. Rykii et Jac. Perizonii, quas hic Æliani lib. VII. Var. Hist. subjecit. Pro *Amulum* tamen plerique MSS. exhibent *Amulium.*

3. *Tutorem Clælium.* Sic ex cod. antea erat *T. Clodium. Clælia* gens a *Clælio* Æneæ comite appellata est, Dionysio et Festo testibus. Quæ apud Albanos in Latio inter antiquissimas et nobilissimas fuit. Post Sylviam etenim in Numitore deficientem ejus regni principatum et gubernacula tenuit sub Numa et Tullo Hostilio regibus; et demum Alba sub Suffetio dictatore diruta, Clœlii Romam a Tullo rege cum omni alia nobilitate traducti sunt, atque inter Patres lecti, sicut Livius, Dionysius et alii scripsere. Leidens. tert. *Cleolium.* Harl. *Cleosium.* Ultraj. prim. et Paris. prim. *Clelium;* cæteri *Clodium.*

4. *Pompum Pompilium.* Olim edd.

principes enumerant, Pirtilianum Lavianium[1], Volesum Valesium[2], Metium Curtium, Allum Funnisillaticum. Ex

Pompeium Pompilium. In Livio, Dionysio, Valerio Max. patrem Numæ regis Pomponem Pompilium appellatum legimus, in Plutarcho Pomponium Pompilium. Atque hæc varietas librariorum negligentiæ imputanda est. Cæterum prænominis antiqui formam magis retinent illa, Pompus, vel Pompo: tertium Pomponius, gentilitium nomen potius est, quam prænomen.

1. *Pirtilianum Lavianium*. In quibusdam manuscriptis, *Putilianum Lavianum*, in Sambuci libro *Postulanum Lavianum* habemus. Sed æque obscura hæc; immo, ut Verrii Flacci verbis dicam, intermortua et sepulta jam sunt vocabula. Alii quoque codd. habent *Putilianum Lauranum*. Sambuci liber *Postulanum Laxianum*. Alii *Petillum Laianium*, vel *Pætulanum Laianium*. Notum est librarios sæpe duobus nominibus dedisse eamdem formam. Sic quum invenirent *Laianium*, videntur ex *Petillo* etiam fecisse *Petillanum*. Esset autem *Pætulanus*, ut *Vibulanus*, a *Pæto*, unde gens *Pætilia*. Fuerunt nempe multa ejus formæ nomina, ut patet ex gentibus *Pedania* etc. Item *Laianius* est nomen gentis a *Laiano*, et hoc eamdem habet originem ac Laia gens. Forte græcum illud nomen *Laius*. *Lauranius* apud Quintil. lib. IX, p. 618 extr. Perizon. Par. prim. *Postulanum Lauzanum*. Harl. Bit. prim. *Putolanum Lauranum*. Leid. quint. sext. Ultraj. prim. *Putulanum Lauranum*. Leid. tert. *Putulanum Lausanum*.

2. *Volesum Valesium*. Edd. *Valesium Valentium*. Prænomen hoc *Volesus* exstat ita quoque in antiquissimi termini marmorei fragmento Romæ, apud Maffeios :

P. VALESIVS. VOLESI. F. POPLICOLA.

Verum in marmoribus capitolinis, *Volusus*, non *Volesus*, scribitur. Priscum valde in Sabinis fuit, et genti *Valesiæ*, quæ deinde *Valeria* dicta est, vel ante Romam conditam familiare: quo item usus est primi Poplicolæ pater. Hinc apparet primum *Volesos*, postea *Volusos* dictos esse *Valesios* : et hoc loco *Volesum Valesium* legendum esse. Hic enim ille videtur esse princeps gentis *Valeriæ*, quem cum T. Tatio rege Romam transtulisse domicilium, tradunt Dionysius Halicarn. et Plutarchus. Proximus locus, *Alium Sumusileaticum* nihil habebat sani. Dedimus, *Allum Funnisillaticum*. De hoc vocabulo incredibiliter variant codices, quos vide infra. *Allus* autem prænomen priscum est, unde gens *Allia* nuncupata. Reperiuntur vetustissimi nummi argentei cum Apollinis capite, et biga Dianæ, quam cervi juncti trahunt, inscripto titulo C. ALLI. Sic etiam ab *Aulo* prænomine gens *Aulia* nomen accepit, atque aliæ multæ ab aliis. Nisi fortasse quispiam hic *Tallum Turanium* afferri velit opinari, quem etiam cum T. Tatio rege Romam e Sabinis habitatum venisse scribit Dionysius lib. II. Sed in tam obscuro. et lubrico loco pedem figere difficile est. *Album* in ed. Pighii error est typographi, ut patet ex Pighii notis, qui voluit *Allum*, quum antt.

Tuscis[1] recitant, Lartem Porsennam; ab Æquicolis, Septimum Modium primum regem eorum, et Sertorem Resium, qui primus jus feciale instituit[2]. In hunc modum Varronis sententia subruitur.

Romanos autem arbitrandum est maxime ab Albanis et Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse, quoniam ab illis orti sunt. Omnia autem, quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eamdem vim significandi hominis obtinent[3]. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo gens cognosci-

edd. habeant *Alium*. Sequutæ tamen illud magna oscitantia sequentes editiones Amstelod. nempe et Vorstiana. Harlem. Bit. prim. duo Leidens. Ultraj. uterque *Volesum Valentium*, vel *Valensium*. Ultraj. prim. *Fumiscilleaticum*. Paris. prim. Leid. quint. *Firmus illeaticum*, Leid. sext. *Firmum illeaticum*. Bit. prim. et Harl. *Fumi Silleaticum*. Mog. *Alium Sumisilleaticum*, ut et reliquæ editiones.

1. *Hetruscis, recitant Lartem Porsenam ab Equicolis; Septimium Medium*. Sic olim. Correctius hæc ita habentur in vet. c. Campensi, et Sambuciano: *Ex Tuscis recitant, Lartem Porsennam; ab Æquicolis, Septimum Modium primum regem eorum*. *Septimus* est rarum quidem prænomen; sed ejusdem tamen rationis ac *Quintus*, *Sextus*, *Octavus*, *Decimus*; quæ ab ordine nascendi imposita fuisse affirmat M. Varro. Ejus mentionem reperio apud Livium libro XXV in fine, ubi juvenem illum equitem, qui Scipionibus occisis in Hispania reliquias exercitus servavit, appellat *L. Marcium Septimi filium*. Ita namque legendum, quando constat moris esse romani, prænominibus solis patres ac avos notare. Et ab eodem gentilitium quoque nomen provenit *Septimiorum*, sicut ab aliis etiam *Quinctii*, *Sextii*, *Octavii*, *Decimii*, sunt appellati. — *Modiæ* quidem gentis meminit etiam Cicero, *M. Modium* equitem romanum nominans actione in Verrem IV. *Ex Tuscis* præferunt etiam nostri MSS. *Septimum Modium* habet Ultraj. prim. Harl. Paris. prim. Leid. tert. et quint.

2. *Qui primus jus feciale instituit*. Ultraj. prim. *qui jus feciale constituit*, deleto *primus*.

3. *Omnia autem, quæ ad unumquemque nostrum definiendum accommodata sunt, eadem vim....... obtinent*. Sic olim; lege *eamdem*. Dicit enim omnia nomina habere eamdem vim significandi hominis præter nomen gentilitium, quo gens cognoscitur, et ita editur in Auct. Ling. Lat. vide Quintil. lib. VI, cap. 3. Pighius, etiam in margine, adscripsit pro varia lectione *quamdam*; sed *eamdem* habent vetustiores edd. et ex MSS. Harl. uterque Ultraject. cum tribus Leidens. e quibus sext. etiam *ad unumquemque virum*, pro *ad unumq. nostrum*.

tur, ideoque dicitur gentilitium: cætera ordine variantur; nam quod præponitur, prænomen; quod postfertur, cognomen; quod ad ultimum adjicitur, agnomen[1] est: quorum series non ita, ut exposui, semper servata est. Animadverto enim in consulum fastis, perplexum usum prænominum et cognominum; fuisse dictum, Postumum Cominium Auruncum, et Postumum Æbutium Elvam, et Vopiscum Julium, et Opitrem Virginium Tricostum, et Paullum Fabium Maximum[2]. Quin etiam quædam cognomina in nomen versa sunt, ut Cæpio: namque hoc in Bruto nominis locum obtinuit.

Gentilitia nomina Varro putat fuisse innumera, et prænomina circa triginta[3]. Pueris non priusquam togam virilem sumerent; puellis, non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse, Q. Scævola auctor est.

1. *Quod.......... agnomen est.* Vetus codex, *adicitur agnomen est.* Unde colligimus legi debere, *quod ad ultimum adjicitur, agnomen est.* Olim erat, *quod ad u. dicitur, a. est.* Vide Perizonii Animad. Hist. c. 2, et P. Servii Miscell. cap. 8, in præfatione J. Georg. Grævii ad t. 2. Thes. Ant. Rom.

2. *Posthumum Cominium Aruntium, et Posthumum Ebutium Helvam, et Vopiscum Julium, et Opitrem Virgineum Tricoscum, et Paulum Fabium Maximum.* Ita hæc nomina varie admodum exprimebantur in editt.; at in v. c. non male omittuntur aspirationes, quæ antiquitus omitti solent. Sic et nos ea correximus ex fide veteris orthographiæ, quæ adhuc residua est in capitolinis marmoribus et nummis antiquis. Cod. Harl. *Postumium Corvinum Auruncum, et Postumium Ebutium Ebiam, et Nopiscum:* uterque Ultraj. *Postumum*, prim. *Aruncum*, in quo hic fere, ut in Bit. cætera desunt. *Postumum Aruncum* etiam Leid. sext.

3. *Gentilitia..... triginta.* Olim erat: *Gentilitium nomina Varro putat fuisse numero, et prænomina circa triginta.* Vetus codex: *Gentilicum nomina Varro putat fuisse in numero.* Paris. prim. *Gentilium nomina Varro putat fuisse quinque prænomina.* Est autem *gentilitium*, quod genti et generi est commune. Cicero de Arusp. 32: *Qui sacrificia* gentilitia *illo ipso in sacello factitarunt.* Neque alio modo Latini *gentilem* eum vocant, qui ex eadem familia ortus est, et idcirco eodem nomine appellatur. Cic. Top. 29: *Gentiles sunt, qui inter se eodem sunt nomine ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt diminuti.* Et in Verr. IV, 190: *Responde mihi nunc Verres, quem esse hunc tuum pæne* gentilem *Verrutium putas?* Ed.?

Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt: ut Postumus, Agrippa [1], Proculus, Cæsar [2].

Opiter, qui patre mortuo, avo vivo gignebatur; Vopiscus, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editus erat; Hostus, prænomen fuit [3] in eo, qui peregre apud hospitem natus erat, idque habuit Lucretius Tricipitinus [4] collega L. Sergii; Volero

1. *Ut Postumus, Agrippa.* V. c. *Posthumus Agrippa.* Atque hæc quidem fuisse in patriciis gentibus quibusdam antiquis prænomina, fasti consulares demonstrant. Nempe *Postumus* reperitur in Cominia, et Æbutia: *Agrippa* autem, in Menenia, et Furia; sic *Proculus*, in Julia, Gegania, et Virginia. Quæ prænomina, ut et alia, posteriores plebeiæ præsertim gentes quædam pro cognominibus acceptarunt. *Postumus* enim in gente Vibia, et Rabiria cognomen est; *Agrippa* autem in Fonteia, Vibullia, Vipsania, et Asinia; item *Proculus* in gente Licinia, atque Plautia.

2. *Cæsar et Opiter.* Sic codices. Sed in manuscriptis aliis copula omittitur, nec male. Nam in *Opiter* significationes prænominum incipit exponere; quod ipsum quidem fuisse cognomen, non liquet. Porro, *Cæsar,* Juliorum cognomen esse constat; sed an prænomen antea fuerit, obscurum quoque nobis est. Adjungit tamen iis, quæ ex prænominibus cognomina facta sunt. Atqui *Cæso* vetus prænomen esse ejusdem originis et significationis ac *Cæsar* cognomen Juliæ gentis plures opinantur. Ait enim Plinius libro VII, capite 9, *primum Cæsarem a cæso matris utero dictum, eademque de causa et Cæsones appellatos fuisse. Cæsar* etiam legisse videtur Jacob. Curtius Emendatt. lib. I, cap. 26, qui ex Valerio Probo item prænomen fuisse æque ac *Proculus* putat. Perizonius legebat pro *Cæsar; cæterum :* ut hoc vocabulo transeatur ad expositionem cæterorum prænominum: videri enim alioquin nimis abruptam esse transitionem, quæ speciem lacunæ præferat: scriptum autem fuisse *cæter.* ut *dier.* pro dierum, et similia scribantur decurtata. Isid. lib. I, 4, *cæterum proprie vocata Nicostrata.* Attamen Paris. prim. Leid. tert. *Cæsar.*

3. *Hostus, prænomen fuit.* In vetere codice *Hostes* legitur. Verum ex Livio, Macrobio, Cassiodoro, marmoribusque capitolinis colligere est, *Hostus* legi debere, quemadmodum libro tertio Annalium in istius Lucretii, qui hic adducitur, consulatu demonstratur. Insuper XII Tabulæ ostendunt peregrinos omnes olim appellatos *hostes* fuisse; quod etiam Cicero, et Sex. Pompeius annotarunt. Ex qua voce deducitur istud prænomen, quo usi sunt primi *Hostilii* et ante urbem conditam; *Lucretia* item gens, sicut ex fastis consularibus constat. Paris. prim. Leid. tert. Ultraj. sec. ed. Mog. *Hospes.*

4. *Tricipitinus.* Ita, non *Trici-*

in prænomen abiit [1], et volentibus nasci liberis parentibus indebatur, quo usus est Publilius; Philo Lar Lartis prænomen est, sumptum a laribus [2]. Tuscum autem creditum

pitius legendum est ex auctoritate marmorum capitolinorum, quibus nihil est correctius.

1. *Volero in prænomen abiit.* Alii, *Volero autem in prænomen abiit,* cum causali conjunctione, quæ superflua est. Deinde sequebatur, *Quia nolentibus nasci liberis parentibus videbatur.* V. c. *et nolentibus nasci*, etc. Locus sine sensu multum obscurus est, et e manuscriptis codicibus nihil lucis hactenus depromitur. Fit tamen duarum literarum mutatione, et unius transpositione multo dilucidior; si, ut fecimus, *indebatur*, legamus, pro *videbatur;* et *volentibus* pro *nolentibus;* ita: *Volero in prænomen abiit, et volentibus nasci liberis parentibus indebatur.* Nam ominis quiddam in se habet prænomen istud, sicut *Tullus*, *Aulus*, *Manius*, et alia. Mox illud, *Publius Philo*, mutavimus in *Publilius Philo*, ad imitationem capitolinorum marmorum, in quibus adhuc exstat inter tribunos consulari potestate, qui fuerunt a. U. CCCLIV. Pigh. *Volero in prænomen abiit, et volentibus nasci, liberis, parentibus videbuntur.* Forte leg. *Quia volentes nasci liberi parentibus videbantur;* vel *volentibus*. Nota autem manifeste hunc cod. habere *volentibus*, et videntur æque *Volerones* potuisse dici, qui *volentibus parentibus nascebantur*, ac *Sertores* qui per *sationem* nascebantur. Malim tamen *volentes;* posset et legi: *Quod volentibus nasci liberis a parentibus indebatur.* Perizon. *Quod volentibus.* Paris. prim.

2. *Lartis prænomen est, sumptum a laribus.* Locus hic prodigiose corruptus erat, et variis erroribus, quem obiter etiam libro Annalium tertio correximus in consulatu Lartis Herminii. Nunc vero eumdem ad manuscriptorum librorum examen revocare non incongruum videtur. In Campensi legitur, *Lalertis prænomen,* in alio, *Lacertis.* Sed malim, *Lar Lartis;* ad differentiam *Lar laris.* Has enim duas voces ita distinguunt veteres grammatici Priscianus, Sosipater, et alii; ut *Lar*, si familiarem deum significet, genitivum, *Laris*, faciat: si prænomen, ut *Tolumnii*, vel *Porsennæ*, qui Etruscorum reges fuerunt, faciat *Lartis.* Jam quæ sequebantur, erant prorsus ab imperitis historiæ librariis confusa et male distincta, qui ex gentilitio nomine, *Herminius*, inauditum prænomen, *Heriminus*, fingere voluerunt. Quid enim succi trahes ex ista lectione vulgata? *Tuscum ante creditum esse fuitque consularis. Heriminus est prænomen Tito Virginco Casto.* Et manuscripti libri nihil fere dant lucis, nisi quod in quibusdam legatur *autem* pro *ante;* quodque distinctiones illæ vulgatæ sint omissæ. Cæterum studiosius animadvertenti palam fiet, duas voces istas (*est prænomen*) transpositas esse perperam ad *Herminium*, uti hoc prænomen fieret; et eodem errore simul alia quædam esse vitiata. Nam si duas voces illas transferamus altius, et consulum nomina corrigamus ex fastorum fide, meliusque

est prænomen esse; fuitque consul Lar Herminius cum T. Virginio Tricosto. Statius, a stabilitate[1]; Faustus, a favore prænomina sumpta erant[2]; Tullus[3] prænominatus est ominis gratia, quasi tollendus, O litera in U conversa; Sertor, qui per sationem natus erat, appellatus est[4]; Ancum prænomen Varro a Sabinis translatum putat; Valerius

sententiam distinguamus; offeret se verior et multo correctior periodus illa, in hunc modum, *Tuscum autem creditum est prænomen esse; fuitque consul Lar Herminius cum T. Virginio Tricosto.* Pigh. *Lar Lartis prænomen est, sumptum a Laribus; Tuscum autem creditum est prænomen esse, fuitque consul Lar Herminius cum T. Virg. Tricosto.* Egregius hic iterum est MS. præ cæteris; codd. habent enim *Laertis prænomen sumptum esse a Laribus: tuscum autem esse creditum fuit, quia consularis Herminius cum T. Virginio Casto.* Nusquam hic *Herminius* prænomen est, ut alii habent codd. pessime, quod Pighius transpositione sanare voluit: lege omnino ex MSto hoc Copesiano: *Lartis prænomen sumptum est a Laribus* (vel, cum Pighio, *Lar Lartis* etc.). *Etruscum autem esse creditur, fuitque eo consul Lar Herminius cum T. Virginio Tricosto.* — *Creditur.* Sic infra de *Caiis* lege ex MS.: *Caio vero judicantur dicti a Gaudio parentum*; et: *Fertur enim C. Cæciliam.* Perizon. Paris. prim. *Tuscum autem esse creditum, fuitque consularis Herminius cum T. Virginio Tricosto;* item Leid. tertius.

1. *Statius, a stabilitate.* Lege, *Statius;* et paullo postea, *Tullus*, pro *Tullius.* Ita enim in v. c. Nec male; nam prænomina hæc sunt ex omine sumpta, non secus ac Faustus et Aulus; item Vibus ab omine vitæ, quod ad differentiam alterius appellativi per *b* scribitur. Cæterum Statius, Tullius, Aulius, Vibius gentilitia sunt nomina, non prænomina. Ibidem, ubi vulgo legebatur, *Prænomen ceperunt*, codex noster habet, *Prænomina sumpserant.* At legendum esse suspicor, *Prænomina sumpta erant.* Pigh. *Status a stabilitate.* Male ita Pigh. ex veteri cod. ut ait, et quia *Statius* sit nomen gentilitium. Rectius MS. Copesianus, *Statius.* Perizon. *Statius* MSS. item nostri.

2. *Faustus, a favore prænomina sumpta erant.* MS. *prænomina ceperunt.* Forte *cœperunt*, id est *prænominari cœperunt:* sic infra *Tiberii nomine citari cœperunt:* sic *Lucii cœperunt appellari*, paulo post. Perizon. *Prænomina cœperunt* nostri.

3. *Et Tullus.* Recte MS. omittit *et*, quod omnino delendum. Perizon. Video et in nostris hoc deesse; addidit opinor Pighius. Pro *ominis gratia*, Paris. prim. *honoris gratia.*

4. *Natus erat, appellatus est.* Sic codex: olim legebatur *natus est.* Igitur hoc prænomen ex eorum genere est, quæ a tempore nascendi sumpta sunt: veluti *Lucius*, *Manius*, *Marcus*, ita et *Sertor*, qui natus est tempore sationis. A nomine *Sertor* autem derivatur alterum *Sertorius*, quod ilustravit Q. Sertorius dux partium Marianarum.

autem scribit[1], quod cubitum vitiosum habuerit, qui Græce vocatur ἀγκών· Lucii cœperunt appellari, qui ipso initio lucis orti erant, aut, ut quidam arbitrantur, à Lucumonibus etruscis; Manii, qui mane editi erant, vel ominis causa, quasi boni, manum enim antiqui bonum dicebant; Gnæus ob insigne nævi appellatus[2] est, quod unum prænomen varia scriptura notatur, alii enim Næum, alii Gnæum, alii Cnæum scribunt; qui G litera in hoc prænomine utuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea litera usa est; olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum profertur, et gnatura, modo natura[3]: igitur etiam qui in

1. *Valerius autem scribit.* Joannis Sambuci codex, item alius manuscriptus habet, *Valerius Antias scribit.* Et facile credo librarios cognomen hoc ipsis insuetum mutasse, existimantes Valerii Maximi mentionem hic fieri. Pigh. *Valerius Antias scribit, quod cubitum vitiosum habuerit.* Sic Pigh. ut quidem ait ex Sambuci et alio codice, de quo tamen dubito. Certe anteriores eddit. habuere *Valerius autem.* Non male fortasse. Cod. Copesian. *Varius autem scribit, quod cubitum intonsum habuerit:* ex quo legat aliquis: *Verrius autem scripsit, quod cubitum intortum habuerit.* Est enim is *Verrius Flaccus* celeberrimus grammaticus, qui Augusti tempore vixit, cujus fragmenta habemus, a Festo et Paulo truncata; ex quibus tamen veritas hujus emendationis defendi possit. Inquit enim Paulus: *Ancus appellatur qui aduncum* (id est *intortum*) *brachium habet, ut exporrigi non possit:* cum quo facit et Servius ad VI Æn. *Valerius* etiam pro *Vario*, ap. Quint. l. V, c. 12, vol. II, p. 311, nostræ edit. Sic et in Festo seu Paullo in voc. *Bellitudinem: Varus* pro *Verrius;* simpliciter autem *Verrius* sæpissime appellatur a grammaticis. Vide testimonia et citationes ex *Verrio* præmissa Festo. *Varro* pro *Verrius* apud Servium; conf. Cuper. Obs. I, 6; si recte emendavit; Perizon. Paris. prim. Leid. tert. Ultraj. sec. *Valerius autem.* Unus nescio quis *Valerius antea.*

2. *Cneus, ob insignem rem appellatus.* In nostro cod. hæc multo emendatius habentur, *Gnæus ob insigne nævi appellatus est.* Nævum enim maculam antiquitus *Gnæum* vocari solere, mox etiam ipse dicit; sicut item Sex. Pompeius affirmans, *Gnæus,* corporis insigne et prænomen esse. Pigh. Leid. tert. *Ob insigne novi.*

3. *Olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum profertur, et gnatura, modo natura.* Auctior adhuc uno exemplo videtur esse MS. licet corrupte ita habeat: *Olim enim dicebatur frucmentum et feretur et fortis, nunc fortis, et natura nunc natura.* Forte, *olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum effertur, et forgtis*

corporibus nævus gigni solet, gnævus appellabatur[1]; qui C ponunt, corruptione syllabæ delectari videntur[2]; qui

nunc fortis, et gnatura nunc natura. Nempe *frumentum* quum repeti deberet, omisit librarius. Secundum ejus vero sententiam antiqui litera c multum usi, quamvis etiam illud verum sit, ut *fuciunt* pro *fugiunt* et similia, tamen in hoc negotio non approbo. Nam *frugmentum* dicitur quasi *frugementum* a *frugibus*. Perizon. cum Copes. conv. Paris. prim.

1. *Igitur etiam qui in corporibus gigni solet, Gnæus appellatur.* Plenius et correctius hæc in veteri codice nostro, *Qui in corporibus nævus gigni solet, gnævus appellabatur;* Pigh. *Qui in corporibus nævus gigni solet, gnævus appellabatur.* Recte MS. cum vett. edd. omittit *nævus*, nec enim desideratur. Perizon. Omittit etiam Paris. primus.

2. *Qui C ponunt, corruptione syllabæ delectantur; qui Næus, lenitatem velle judicantur. Gaii dicti a gaudio parentum.* Primum MS. *correptione*, sed *corruptione* diligenter servant omnes edd. post Pighium. Extrema ita constituit Pighius ex uno Campensi cod. Ante eum fuisse apparet, *qui Næus levitatem Gaii judicant a gaudio parentum dicti.* Cum quo fere consentit MS. Copesianus, nisi quod paulo correctius: *Qui Næus lenitate C judicantur dicti a gaudio parentum*, quæ manifeste ducunt ad veram scripturam, quæ hæc est: *Qui Næus, lenitate* (scil. delectantur). *Caii vero judicantur dicti a gaudio parentum.* Sic Festus in *Oscillum: Quod nusquam apparuerit, judicatus sit factus Jupiter Latiaris.* Et Appian. Syr. p. 89. Διαφθείροντες τὸ ὄνομα, ut nempe Ἄργος pro Ἀργεῖος vel Ἀργοναυτῶν, qui locus pessime vertitur, nec intellectus est interpreti. Vide et eumd. Appian. Mithrid. p. 114; itidem pessime versum et corruptum. Sic Plut. Quæst. 54, p. 167. Varro de Ling. lat. pag. 4; Ovid. lib. V, Fast. 195. *Chloris eram, quæ Flora vocor, corrupta latino Nominis est nostri litera græca sono.* Et Ponto IV, 12. Quare retinendum *corruptione*, quæ dicitur de omni mutatione vocabuli. Quint. lib. I, cap. 9: *Composita autem ex integro et corrupto, ut malevolus, aut ex corrupto et integro, ut noctivagus. Sermonari rusticius videtur, sed rectius; sermocinari crebrius, sed corruptius.* Gell. lib. XVII, c. 2: *Qui propterea Sibylla cognominatus, et postea corrupto nomine primus Sylla cœpit vocitari.* Macrobius, I, Saturn. c. 17, p. 228: *Longo usu loquendi corruptam esse vocem ex bidemnibus bidentes factum, quoniam id videbatur esse dictu facilius.* Confer quoque Sigonium de nomin. pag. 363, qui citat, *corruptione et levitate. Corruptione* etiam apparet in edit. quæ Pighium non sequitur in Auct. Ling. Lat.—*Lenitatem. Quincentum antiquos dixisse: sed postea levius visum ita ut nunc dicimus, pronuntiari nempe Quingenti.* Fest. in *quincentum*. At Gell. lib. XV, c. 3: *Versare, et mutata* ab *præpositio in* au *syllabam propter lenitatem vocis.* In compositis scilicet; paulo ante ex Cicerone *eam præpositionem, quo fieret vox pronunciatu audituque lenior.* Donat. ad Phorm. prol. V. 2. *transdere* Veteres, quod nos *tradere*.

Næus, lenitatem velle judicantur. Gaii dicti à gaudio parentum[1]; Auli, qui diis alentibus nascuntur; Marci, Martio mense geniti; Publii, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, alii ominis causa, ex pube; Tiberii vocitari cœperunt qui ad Tiberim nascebantur[2]. Titus, e sabino nomine Titurio fluxit; Appius, ab Atto[3] ejusdem

1. *Qui Næus, levitatem Gaii judicant a gaudio parentum dicti.* Confuse perperam hæc, et inutile : sed melius, et distinctius in Campensi manuscripto : *Qui Næus, lenitatem velle judicantur. Gaii dicti a gaudio parentum.* Pigh. Paris. prim. *Qui Neus levitate, Cn. judicantur.* Leidensis tertius, *levitatem indicantur dicti.* Ultrajectinus secundus, *levitatem Gaii indicantur a gaudio parentum dicti.*

2. *Qui ad Tiberim nascebantur.* Codd. addunt post *ad*, *flumen.* Deinde, *Titus a sabino nomine Tito fluxit.* Codex noster ita : *Titus e sabino nomine Tito refluxit.* Itidem mendose, sed aperit tamen aliquantulum. Non enim verisimile est, *Titum* a *Tito* fluxisse, quando idem prænomen sit; sed potius alio nomine, velut *Titurio*, sive *Titulio*. Sex. Pompeius autem, *Titus* prænomen ortum scribit a *Titulis* militibus, ita dictis, quasi tutuli, quod patriam tuerentur. Unde et *Tituria* gens nomen traxisse videtur, unius literæ mutatione, quam valde priscam in Sabinis fuisse, demonstrant antiquissimi nummi argentei cum effigie Sabi dei. Eos autem inscriptio indicat cusos esse a *L. Titurio Sabino;* et repræsentant insuper ex his aliqui raptum Sabinarum mulierum, et aliqui Tarpeiam virginem in Capitolio scutis oppressam; idque in primi cum Romanis belli memoriam, et consortii per affinitatem contracti. Quos nummos in principio fastorum suorum Hubertus Goltzius ex Laurinianis bellissime delineavit. Fortasse igitur legendum est, *Titus e sabino nomine Titurio fluxit*, vel, *Titulio fluxit.* Ejusdem autem originis et significationis est gentilitium nomen *Titius.* Pigh. *Titus e sabino nomine Titurio fluxit.* Ita fecit ex conjectura Pighius quum in uno cod. invenisset *Tito refluxit.* Ante eum edebatur *Tito fluxit.* MS. habet *Titus e sabino nomine Tito fluxit.* Sensus potest, *Titum prænomen romanum ortum esse a sabino nomine Tito.* Forte etiam legere poteris, *Titus a sabino homine Tito fluxit.* Ut dicat, aliquem hominem apud *Titum* appellatum, inde ortum esse illud prænomen; vel ut cum Verrio conveniat, quod sæpe facit, *Titus e sabino nomine Titulo fluxit.* Vide Fest. in voce *Titus.* Et sane illud multo verisimilius est, quam prænomen *Titus* ortum a nomine gentilitio *Titurius*, ut vult Pighius, quod potius e *Tito* descendit, ut *Calpurnius* a *Calpo*, *Pinarius* a *Pino.* Perizon. *Sabino nomine Tito*, servant MSS. nostri.

3. *Appius ab Acteo.* Sambuci codex habet, *ab Atto.* Quæ vox majorem formam prænominis præfert, unde Atteia gens dicta esse videtur,

regionis prænomine; Kæsones appellati sunt, qui e mortuis matribus execti erant; Servius, qui mortua matre in utero servatus est; Spurii, patre incerto geniti, quasi σπόροι [1]. Numerii sola patricia familia usa est Fabia, idcirco quod trecentis sex apud Cremeram flumen cæsis,

et Attia : quæ deinde simplici consonante scribi cœperunt. PIGH. Unus, *ab Acto*. Leid. tert. *ab Ateo*. Ultraj. sec. et Mog. *ab Acteo*.

1. *Quasi* σπόροι. In Campensi, *Epopa alii:* in Sambuci libro, *Ethiopani;* atque ita in omnibus aliis codicibus hic locus admodum monstrose corruptus est, ut hactenus nemo eum corrigere potuerit. Mihi autem in mentem venit opinari, librarios imperitos ibi in Græcam vocem ΣΠΌΡΟΙ, id est, semina impegisse : ideoque latinis characteribus imitando Σ in E et P in p item OI in œ, vel æ, perperam mutasse. Constat enim antiquitus *Spurios* vocari solere, vel vulgo, vel adulterio conceptos; et veluti temere sparsa semina, patre incerto natos. Atque idipsum veteres jurisconsultos etiam affirmasse, Plutarchus scribit in Problematibus; nam volunt ita natis a vero et genuino patre præter semen nihil esse reliquum. Adjecta autem vox, *aliter*, vel *ani*, sane videtur ex variarum lectionum notis e margine fluxisse in contextum, et prorsus nihili esse. Verum quæ sequuntur, varie partim annotationibus conspurcata, partim mutila sunt : quæ sic in vulgatis leguntur, *Numeri, sola patricia familia usa est Fabia.* Et ita in quibusdam manuscriptis, in aliis autem vox *familia* deest. In Jo. Sambuci libro sic : *Numeri sola patricia tantummodo usa est Fabia.* Ubi redundat vox, *tantummodo*, ex annotationibus, ut apparet, inserta, et aliæ desunt. In Campensi autem clarius elucent tales annotatiunculæ. Nam sic habetur : *Numeris sola patricia gens familia est usa Fabiæ prænomen est.* Ibi nempe monstratur alia supposititia vox *familia*, quæ omnino rejicienda est. Loquitur enim hic auctor de tota gente *Fabia* ad Cremeram cæsa, non de una *Fabiorum* familia, quorum postea plures familiæ prænomen *Numerii* acceptarunt : sicut primum *Vibulani*, deinde *Ambusti*, *Pictores*, et *Buteones*. Posset igitur ab his erroribus ita vindicari locus iste, et recte suppleri : *Numerii sola patricia gens usa Fabia est prænomine;* videlicet auferendo voces duas superfluas; et mutando, *Numeris*, in *Numerii;* et *Fabiæ prænomen est*, in *Fabia prænomine*. *Fabiam* vero gentem inter patricias primam fuisse, quæ *Numerii* prænomen adscivit, etiam Sex. Pompeius scribit, et eamdem affert rationem. PIGH. *Numerii sola patricia gens usa est Fabia prænomine.* MS. omittit *gens* et *prænomine*, quomodo et Sambuci cod. et sane ultimam vocem *prænomen* quod in uno Campensi cod. vidit Pighius, quum et in antiqq. edd. omittatur. Fort. *Numeriis sola patricia usa est familia Fabia;* pleraque enim prænomina supra in plurali posuit, ut *Auli, Marci, Publii,*

qui unus ex ea stirpe exstiterat, ducta in matrimonium uxore filia[1] Numerii Otacilii Maleventani[2] sub eo pacto, ut quem primum filium sustulisset, ei materni avi prænomen imponeret[3], obtemperavit.

Antiquarum mulierum in usu frequenti prænomina fuerunt, Rutilla, Cæsella, Rodocella, Murcula[4], Burra a colore dicta. Ista prænomina a viris tracta sunt, Caia, Lucia, Publia, Numeria[5]. Cæterum Caia, usu super om-

Tiberii, Kæsones, Spurii. Nam cur *familia* rejiciat Pighius nulla caussa est, quum et Festus in hoc negotio dicat *familia Fabia.* Perizon. *Numeri sola patricia familia usa est Fabia.* Sic MSS. nostri.

1. *Ducta in matrimonium uxore filia Numerii Otacilii Maleventani.* MS. *Ducta in matrimonio Nuyn uxore filia, Nuyn Jotacilii Maleventani.* Ex quo videtur etiam filia illa dicta esse *Numeria. Nuyn* est scriptum pro *Num.* Solet enim hic librarius vocalem *i* initio vocis vel post aliam vocalem scribere per *y. Nuin* vero patet esse scriptum pro *Num.* id est *Numerius*, vel *Numeria.* Eo vero magis credo *Numeriam* esse dictam, atque illud scripsisse hunc auctorem, quod postea inter nomina feminarum ponat *Numeriam*, ubi male Pighius mallet *Maniam*, quia Varro negat *Numeriam* dici : quum aperte codex Copes. habeat *Muneria* pro *Numeria.* Perizon.

2. *Numeri Jotalicii Malemitani.* Cod. correcte, *Numerii Otacilii Maleventani.* Sic quoque nominat eumdem Sex. Pompeius.

3. *Et Numeri prænomen imponeret.* Codex : *ei materni avi prænomen.* Recte ; sicut et Sex. Pompeius : inusitatum enim erat apud Romanos prænomen a parte materna accipere.

4. *Rutilia, Cæsellia, Rodocilla, Mutrulla.* In codice nostro, *Rutilla, Cæsella, Rodocella*, legitur. Et veterum prænominum formam hæc magis repræsentant. Sex. Pompeius Cæsullam vocari dicit, a cæsis oculis ; et Ravillam a ravis, quod postea cognomen in Cassia gente. Pro *Mutrulla*, Sambuci codex habet, *Murcula*, atque id diminutive fortassis a Murcus, cognomine virili. Sequitur, *Burra a calore dicta ;* cod. *a colore.* Nec male. Burros enim Romani appellarunt fulvos ac rubicundos, quos Græci πυῤῥούς. Hæc quidem jam dicta prænomina a proprietatibus desumpta transiisse deinde in cognomina reperimus, sicut et Rutilla, teste Sex. Pompeio, qui dicit, rutili coloris studiosas etiam antiquas mulieres fuisse, atque inde etiam traxisse cognomina Rutillas, idque etiam Afranium frequenter indicare. Pigh.

5. *Publia Mœrea.* In Sambuci libro, *Publia, Numeria.* Et hæc quidem prænomina a viris sumpta sunt. Varro tamen putat Marcam et Numeriam muliebri forma non dici : Luciam, Maniam, Postumam, ut mulierum prænomina agnoscit libro VIII de Lingua latina. Ergo for-

nia celebrata est. Fertur enim, Caiam Cæciliam Tarquinii Prisci regis uxorem optimam lanificam fuisse: et ideo institutum esse, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Caiam[1] esse se dicerent C. Titii.

tasse *Mania* hic legendum erit, pro *Marea*.

1. *Caiam esse se dicerent*. In Campensi ita, *Caiam esse se dicerent C. Titii*. Deinde sequitur: *Finit epitoma de nominibus historiarum et exemplorum Romanorum*. Quid autem ex his colligi possit, videant docti. Mihi quidem suspicio oboritur librarios quosdam temere hæc aliter distinxisse hoc modo, *C. Titii finit epitoma*, etc. atque inde opinionem natam C. Titium auctorem esse hujus epitomes, sicut nunc in impressis exemplaribus proditur. Præfatiuncula tamen, licet a diversis diversimode fabricata, nullibi hoc indicat; sed in quibusdam codicibus, ut dixi, Julius Paris abbreviator decem librorum Valerii nominatur, quorum decimi epitome hæc est de nominum ratione. Sed cujus quæso Valerii? nam ad Maximi argumentum ne puncto quidem uno accedit. Itaque videtur potius esse alterius alicujus Veteris, qui decem libros non exemplorum, sed de lingua latina scripsit, quos Julius Paris in epitomen redegit: et eorum decimi epitome propterea a librariis Valerii Maximi libris novem adjecta est appendicis vice, quia breviter et succincte romanorum nominum rationes explicet, quo melius romana Valerii exempla possent intelligi ab imperitioribus. Quo fine et alia illa epitome in Campensi libro post hanc adjuncta est, de appellationibus magistratuum, et vocabulis historiæ Romanæ. Quis autem hic Julius Paris, fateri necesse est, non liquere: quamvis ex nominis forma colligi fere possit, libertum fuisse doctum aliquem domus Juliæ, qualibus uti solebant grammaticis, vel pædagogis, vel anagnostis. At multo magis obscurum est, quis fuerit C. Titius Probus hic velut auctor epitomes in impressis libris præfixus: quem ego quidem in manuscriptis veteribus nondum reperi, præterquam in unius, ut dixi, Campensis calce adjectum; atque ita, ut ad ipsam extremam fragmenti illius sententiam potius pertinere, quam auctorem ejus notare videatur. Nam si respiciamus ad solennem illum ritum nuptiarum, cujus ibi fit mentio, et quem etiam pulchre Plutarchus in Problematibus exponit; profecto non inepte nova nupta ex more interrogata semet sponsumque suum bene ominate nominando, *Caiam se esse* dicebat *C. Titii*, vel *C. Titii Probi*, ut videntur habuisse quidam codices, ex quibus nomen auctoris istius translatum est ad præfationem illam primam. Inter priscas enim nuptiarum cærimonias et illud erat, quod auspicatum habebatur, sponsum vel sponsam ab initio nuptiarum non tam propriis, quam bene faustis, ac ominatis appellare nominibus. Quemadmodum et virgines Vestæ sacrandas, pontifex ma-

ximus quum caperet, non suo nomine, sed Amatas vocare solebat. Quin et sponsa, item Plutarchus testatur, ad sponsum deducta, et profari jussa, his verbis eum alloqui solet: *Ubi tu Caius, ego Caia.* Ita scilicet de paciscendo fortunarum facultatumque omnium communionem, quasi diceret: Ubi tu dominus ac herus, ego domina et hera: ubi tu gaudebis, ego gaudebo. Quam paritatem conjugii duobus semicirculis signarunt antiquitus, uti dexter maritum, sinister uxorem repræsentet. Qui conjugii copula connexi circulum absolvunt, id est, rem omnibus numeris integram et absolutissimam constituunt. Hinc ni fallor, ortum est, ut antiqui prænomen, *Caius*, C. et, *Caia*, litera eadem inversa, sic Ɔ, notarint; quæ circulum junctæ constituunt, eodemque mundus, conjugium, generatio, et æternitas hieroglyphice significabatur. *Caios* autem a *gaudio; Titos*, ac *Titios* a *tutando* nuncupatos volunt, ut ante dictum est: quæ idcirco nomina habebantur auspicata, ut et cognomen *Probus*. Atque ista occasione fortassis ita usu vulgata sunt, ut jurisconsulti in suis scriptis quoscumque fere viros, vel *Caios*, vel *Titios* appellarint, et quascumque mulieres, *Caias* vel *Titias;* quum de controversiis inter personas ortis disserunt, et casus exempli causa proponunt. Pigh. *Caiam esse se dicerent C. Titii.* Multa hic disputat Pighius ut probet recte hic scribi *Caii Titii.* Ego tamen malim credere omnino delenda hæc esse cum antiquis edd. et cod. MS. Copesiano, ubi *dicerent* ultima est hujus epitomes vox. Et quum tam multi tradiderint hæc de *Caia*, nemo tamen addit, dicere solitas mulieres, esse se *Caias C. Titii.*



INDICES

QUATUOR

IN VALERIUM MAXIMUM.

INDEX
SCRIPTORUM
A VALERIO MAXIMO
CITATORUM.

N. B. Explicatio signorum et compendiorum. Primus numerus Librum, secundus Caput, tertius Exemplum indicat; exemplis præmittuntur signa: *ext.* id est, externi; — *damn.* damnati; — *abs.* absoluti; — *amb.* ambustæ; — *pl. rom.* plebis romanæ; — *mil. rom.* militum romanorum; — *fr.* fragmentum.

INDEX
GEOGRAPHICUS.

A.

B.

C.

I.

J.

L.

M.

Q.

R.

S.

T.

INDEX HISTORICUS.

A.

B.

E.

G.

H.

Q.

X.

Z.

INDEX

VERBORUM ET LOCUTIONUM

IN

VALERIUM MAXIMUM.

Primus numerus librum, *secundus* caput, *tertius* exemplum *indicat.*

A.

B.

C.

E.

G.

H.

I.

J.

L.

M.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

X.

Z.

TABULA

RERUM QUÆ IN HUJUS SECUNDI VOLUMINIS PRIORI PARTE CONTINENTUR.

FINIS PRIORIS PARTIS.



